# PRODROMUS
# FLORÆ MONASTERIENSIS
# WESTPHALORUM,

AUCTORE

C. M. F. à BOENNINGHAUSEN,

J. U. D., Consil. Reg., Commiss. Catastri Gener., nonnull. Societ. litt. Sodali.



## PHANEROGAMIA.

MONASTERII,

SUMTIBUS FRID. REGENSBERG.

1824.

BOTANOPHILIS,

PRAESERTIM WESTPHALIS,

HASCE QUALESCUNQUE

FLORÆ WESTPHALICAE

PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Vive, vale. — Si quid novisti rectius istis:
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

*Hor. Epist. I. 6.*

# PRAEFATIO.



---

Præsens opusculum in lucem edituri, ne conatus nostri reprehendendi videantur, quod videlicet rem arduam susceperimus, botanices scientiam ex instituto profitentibus relinquendam, in primis præmonendum existimavimus, plantarum indigenarum enumerationem diu multumque desideratam esse a botanophilis nostris, neminem vero in hunc usque diem fuisse, qui ad patriæ Floram elaborandam sese accinxisset. Propterea nos operam et oleum haud perdituros esse credidimus, si succinctum hunc prodromum publici juris faceremus, quo si non illorum desiderio satisfieret, tironibus saltem aliquid commodi et utilitatis praeberetur.

Instantibus igitur amicis, at non sine timore, auxilio paucorum adjuti, opus pro

otio raro proque viribus exiguis gravius, horis subsecivis elaborandum adorti sumus, arbitrati, ut desint vires, haud vituperandum tamen conatum, scriptis memoriæ prodidisse, quæ de Florula nostra hucusque innotuissent. Ea vero sunt, quæ ceu primitias Floræ Westphalicæ, scientiæ, quam præ cæteris amabilem prædicamus, cultoribus exhibemus. Floram enim monasteriensem a nobis editam haudquaquam adfirmamus, probe intelligentes, hanc, nisi prævia locorum, quæ nemo botanicus usque adhuc salutaverit, diligentiore perscrutatione atque plantarum dubiarum ulteriore examinatione, inchoatum iri.

Hisce perpensis, libellum ea ratione concinnandum putavimus, ut, demto omni supervacaneo, de essentialibus nil desideretur. Supervacaneum autem visum est, centies repetitas diagnoses iterum transcribere; quibus additis, auctoque inde præter necessitatem et volumine et pretio, opusculum nostrum perfectionem mentiretur, qua revera caret, speciemque Floræ præ se ferret, quam illi tributam negamus. Methodum igitur D. *Steudel* secuti, ad singula genera, nec non ad quamvis speciem, *Ræmeri* juncti cum *Schultesio*, et *Persoonii*, et *Willdenowii*,

brevi citatione mentionem fecimus, ut eorum opera, quorum unum saltem cuique botanophilo in promptu esse suspicamur, sine temporis jactura evolvi possint.

Talem œconomiam præ aliis convenientem putavimus, qua verbis, salva perspicuitate, parceretur, atque compendium evaderet brevissimum. E re autem videbatur, adnotatiunculas subnectere, ubi vel laudati auctores tacuerunt, vel specierum characteres difficilius memoriæ mandantur, ut excursionibus quoque inservire possit libellus, non solum locorum commentarius, sed etiam eminentiorum epitome differentiarum. Earum vero plantarum atque varietatum memorabilium, quibus auctorum descriptiones non omni numero respondent, quasque ceu novas dubiasve catalago nostro inseruimus, notas plures insigniores, aut succinctam descriptionem adjunximus, quo melius ab affinibus distinguerentur, atque ulteriori examini subjicerentur. Atque harum præcipue, sed et omnium, quæ apud nos inter rariores recenseri merentur, locum natalem accurate et specialiter indicare maxima cura fuit, nominaque vernacula, uti æquo sæpius fieri solet, nequaquam latinavimus, obscura verba magis quam barbara metuentes.

Ad rite circumscribendum Chloridis nostræ agrum, neglectis finibus politicis, eos potissimum limites eligendos putavimus, quos natura ipsa dictitare videbatur. Hinc, septentrionem versus incipientes, tractum montium *Teutoburgicorum*, porro flumen Luppiam (*Lippe*), ad radicem eorum ortum, usque ad ostia ipsius prope urbem Vesaliam (*Wesel*), denique vero *Rhenum* fluvium finesque regni Batavorum geographicos, incluso comitatu *Bentheimiensi*, limites nostros effinximus.

Prostantibus jamjam pluribus hujus regionis mappis geographicis *), novam quandam subnectere lithograptam, qua libelli pretium augeretur, inutile duximus. Neque magis e re esse videbatur, de soli et climatis indole fusius tractare. Brevi igitur monere juvat, ditionis Chloridis nostræ medium tenere colles calcareos serioris originis, conchyliis divites, argilla plerumque

*) Omnibus proculdubio longe præstat mappa magna cl. *Le Coq, (Karte von Westphalen in 22 Blättern)*, cui proxima accedit illa minor, quam anno 1815 Berolini apud *Schropp et C.* edidit cl. *C. F. Klöden, (Das Nordwestliche Deutschland etc.)* summa cum diligentia e priore excerptam, concinnitate et tractabilitate illi præferendam.

tenacissima (*strenger Klay*) superstratos, sylvosos, variis pulcherrimisque plantis ornatos. In declivibus atque sinubus eorum, nec non passim ad fluviorum ripas, solum reperies lutosum (*milden Lehmboden*), priore fertiliorem magisque cultum, botanophilis autem munera minus larga tribuentem. Reliquum, quod superest, spatium in immensa camporum patentium dilatatur æquora sabulosa, in quibus non raræ occurrunt paludes turfosæ, sæpe molibus circumvallatæ arenosis, Arundine arenaria obsitis, quales littora maris fluctibus opponere solent. Præter istos, de quibus diximus, colles, septentrionem versus videbis montes, uti ajunt, Teutoburgicos, schisto, calce et cote exstructos, quorum summa juga vix 800 pedibus sese extollunt, nec non clivos glareosos atque sterilissimos inter Halteram et Vesaliam; montes vero eminentiores in agro nostro plane desiderantur. — Inter fluvios denique præcellunt, navium patientes, Rhenus princeps, Luppia et Amisia (*Emse*) nobiles; permulti autem rivuli fluviique minores, aut e montibus Teutoburgicis, aut e clivis calcareis, aut e paludibus turfosis originem trahentes, omnes undique plagas percurrunt atque alluunt.

Omnes suscipere stirpes placuit, quas vulgo

obvias habemus, seu quasi sponte provenire videmus, relictis solummodo iis, quæ nonnisi singulari in hortis industria cultæ occurrunt. Neque igitur plantæ in agris satæ, neque ex aliis terræ regionibus advectæ excluduntur, dummodo inquilinæ factæ cum aboriginibus frequentius inveniantur, uti cerealia usitata, olitoria quædam, arbores nonnullæ.

Ubi de loco natali specialiter agitur, invenies symbolum ejus, ex cujus fide et auctoritate locus laudatus pendet, aut usitatum illud exclamationis signum, (!), quo indicatum est, nosmet ipsos plantam enumeratam vidisse. Ubi vero dubitationi locus esse videbatur, expressis verbis incertæ civis mentionem fecimus, aut plantam penitus omisimus. — Durationem plantarum signis in re herbaria receptis, florendi tempus mensium numero more solito indicavimus.

Synonymis paucis, nec nisi necessariis auctorum citatorum, usi sumus, ne volumen in nimiam molem excresceret, aut nova dubia, vix evitanda, orirentur. De die in diem enim magis persuasum habemus, nimiam synonymorum copiam non solum insigne scientiæ nostræ detri-

mentum intulisse, sed etiam multa exinde erronea irrepsisse, ut hodie, tristi experientia edocsi, nonnisi dubia mente plantæ vel vulgatiori synonymum aliquod subscribere audeamus.

Ad finem Tetrandriæ usque duces habuimus clss. *Mertens et Koch*, quorum opus eximium, omni botanico maxime necessarium, nondum absolutum esse, perquam dolemus. In sequentibus vero classibus, nulli prorsus magistro addicti, e variis auctoribus ea in usum nostrum convertere studuimus, quæ e re esse videbantur, neque antiquiora vituperantes, neque recentiora, siquidem meliora, respuentes.

Reddita ratione de eo, quod præstare sudavimus, superest, ut amicis botanophilis, quorum auxilio in elaborando hoc opusculo gavisi sumus, gratias persolvamus publicas, ut suum cuique meritum suusque honos tribuatur. Nonnullorum nomina, minus frequenter redeuntia, immutilata in libello ipso invenies; sequuntur autem symbola nominaque illorum, quorum sæpius mentio facta est.

A. — *Aschoff*, filius, pharmacopola olim in *Bielefeld*, nunc in *Herford*, qui lubens littera-

rum commercium inire, atque plantas rariores illius regionis voluit indicare.

B. — *Banning*, pharmacopola in *Lengerich*, agri sui uberrimi perscrutator, amicus officiosus.

H. — *Herold*, Med. Doct., Collegii medici, quod *Monasterii* floret, Assessor, atque hujus urbis pharmacopola, sæpe junctus cum

K. — *Kahler*, pharmacopola ibidem; uterque pro eximia eruditione colendus, pro animi candore diligendus.

M. — *Mordfield*, pharmacopola in *Rheine*, amicus sincerus, jam nimis Entomologiæ addictus, neglectam vero novo ardore scientiam amabilem adgressus.

N. — *Nagelschmidt*, pharmacopola in *Dülmen*, indefessus et sagax plantarum agri sui venator, quem primum inter nostrates botanophilum salutavimus, amicum dilectum coluimus.

Nic. — *Nicolai*, pharmacopola in *Warendorf*, qui plura rariora nobiscum benevolenter communicavit.

W. — *Willbrand*, Med. Doct., westphalus, botaniees professor in academia Giessensi, philosophus scientias naturales præcellenti amplectens ingenio.

Quidquid illorum signis inscriptum videbis,

nonnullaque alia, quæ jam in usum nostrum convertere non potuimus, illis deberi candide profitemur.

Vos autem, qui majori nos officio devinxistis, qui schedulas nostras critico subjicere examini, atque non minori benevolentia quam eruditione observationes suppeditare, dubia solvere, erronea castigare, haud abnuistis, colendissime *Præses à Schlechtendal!* tuque amicissime D. *Weihe!* — (nomina in scientia nostra amabili insigni jam celebritate notata,) — nolite gratias nostras spernere, sincero animo persolutas.

Plures proculdubio botanophili in patria nostra degunt, quos salutare nobis nondum contigit, vel quorum nomina nos fugiunt. Hosce autem non minus aç illos, quorum jamjam gaudemus amicitia, rogamus, ut benevolenter certiores nos reddere velint, siquid novi aut in hoc prodromo omissi e re herbaria illis observatum fuerit. Addenda ista atque emendanda, nominibus eorum inscriptis, in mantissam collecta, inposterum sunt secutura. Recordamini autem, amici, maximi præceptoris sententiam: herbarium præstare omni iconi! neque labori exiguo parcite, ut semper comparationis et examinatio-

nis ergo specimina rite exsiccata præsto sint. De invisis enim nil judicandum, invisaque in mantissam recipere, atque dubiis prioribus nova dubia addere, non audebimus.

Præmonitis, quæ videbantur præmonenda, sperare nobis fas est, fore ut lector nemo aequus conata nostra despiciat, aut levitatem operis vituperet. Neque ambiguam auctoris gloriolam ambientibus, neque singulare labori nostro meritum tribuentibus, sufficit nobis, si unus alterve aliquid oblectamenti et utilitatis ex eo ceperit, et ad seduliorem plagarum nostrarum indagationem sese excitatum senserit. — Quodsi autem intelligamus, libellum hunc botanophilorum esse in votis, neque amicorum auxilio neque temporibus deficiamur subsecundariis, alteri quoque Cryptogamiae parti, fusiorem soli et climatis descriptionem simul continenti, operam navaturi sumus.

Dabamus Monasterii Westphalorum pridie Iduum Martii. MDCCCXXIV.

# PRODROMUS

# FLORÆ MONASTERIENSIS.

## CLASSIS I.

# MONANDRIA.

## MONOGYNIA.

### 1. HIPPURIS. *L. RS.* 32. *P.* 23. *W.* 23.

1. H. vulgaris. *L. RS.* 1. P. 1. *W.* 1.
   *β.* H. *fluviatilis. Roth.*

♃. 6 — 8. In piscinis, fossis et rivulis haud frequens: *Rheine*, M.; *Dülmen bei der grossen Teichsmühle*, N.!; *Darup am Ramesbruch! Billerbeck an den Fürstenteichen! Coesfeld an der Zitadelle!* — Varietas *β*, foliis emersis in spiram tortis, unica tantum vice nobis obvia fuit prope *Billerbeck* loco indicato; frequentius autem occurrit extra fines nostros in fluvio *Pader*, inter *Paderborn* et *Neuhaus.*

Obs. Blitum virgatum L., prope *Münster* observatum, non inquilinam sed hortorum aufugam censemus; Callitrichen autem, præeunte cl. Wahlenberg, ad Monoeciam retulimus.

## CLASSIS II.

# D I A N D R I A.

## MONOGYNIA.

---

2. LEMNA. *L. RS.* 111. *P.* 2025. *W.* 1632.

2. **L. trisulca.** *L. RS.* 1. *P.* 1. *W.* 1.

⊙. 6, 7. In fossis et stagnantibus immersa, ubique. — Folia elliptico-lanceolata, subdiaphana, sæpius ternatim cohærentia.

3. **L. minor.** *L. RS.* 2. *P.* 2. *W.* 2.

⊙. 5 — 7. Cum priori copiose, natans, ut sequentes. — Folia subrotunda, utrinque plana, subtus pallidiora.

4. **L. gibba.** *L. RS.* 3. *P.* 3. *W.* 3.

⊙. 6, 7. Cum priori non raro. — Folia subrotunda, subtus fere hemisphærica. Hanc quotannis florentem invenies prope *Darup am Körtling.*

5. **L. polyrrhiza.** *L. RS.* 4. *P.* 4. *W.* 4.

⊙. 6 — 8. Similibus locis, ast paulo rarior. — Folia quam in præcedente triplo majora, subrotunda, emarginata, subtus atropurpurea.

Obs. Propagatio hujus generis aeque ac duratio, quamvis omnibus autoribus annuum sit, nobis admodum dubia videtur, quia primo vere ad aquarum superficiem adscendti, atque jam ante florendi tempus proles habet innumeros. Supervenit, quod sæpius non floreat, neque eo minus sequente anno copiose redeat; unde plantas perennantes habemus.

3. FRAXINUS. *L. RS.* 107. *P.* 2181. *W.* 1908.

6. **F. excelsior.** *L. RS.* 16. *P.* 1. *W.* 2.

♄. 4, 5. In nemoribus frequens, arbor excelsa. — Flores polygami, dioici et monoici. Variat foliolis breviter petiolatis, pallidioribus, ovatis, obtusis, serraturis approximatis; nec non foliolis omnino sessilibus, saturate viridibus, anguste lanceolatis, apice in acumen longum productis, serraturis remotis.

4. LIGUSTRUM. *L. RS.* 53. *P.* 35. *W.* 34.

7. **L. vulgare.** *L. RS.* 1. *P.* 1. *W.* 1.

♄. 6, 7. In dumetis et sepibus solo calcareo vulgare; certe stirps indigĕna.

5. SYRINGA. *L. RS.* 55. *P.* 40. *W.* 38.

8. **S. vulgaris.** *L. RS.* 1. *P.* 1. *W.* 1.

♄. 5. Frutex persicæ originis, jam inquilina factus, ad sepes non rarus. — Variat floribus lilacinis, pallide cyaneis, carneis et albis; quas vero varietates, quamvis hiberno immo tempore ex cortice gemmisque non ægre distinguuntur, nonnulli autores immerito specie disjungere jubent.

6. VERONICA. *L. RS.* 63. *P.* 46. *W.* 44.

9. **V. longifolia.** *Schrader. RS.* 17. *P.* 5. *W.* 5.

♃. 7, 8. In pratis humidis, ad ripas fluviorum *Emse* et *Werse*, frequens. — V. maritima L. ab amicis hoc loco indicata, e Germania exul; nostra facile distinguitur foliis cordato-lanceolatis.

10. **V. spicata.** *L. RS.* 24. *P.* 7. *W.* 7.

♃. 7, 8. In sylvaticis apricis ad confluentiam fluviorum *Emse* et *Werse* prope rudera arcis *Haskenau* occurrere dicitur; planta dubia, nobis non visa.

11. **V. serpyllifolia.** *L. RS.* 49. *P.* 52. *W.* 28.

♃. 5—10. Ubique frequens in pascuis et sylvaticis humidis. — Variat pro soli fecunditate magnitudine atque foliis plus minusve rotundatis, nec non in siccis caule subpubescente. Veronicis pedunculis solidariis eodem jure videtur adscribenda, quam V. præcox, agrestis et aliæ consimiles.

12. **V. scutellata.** *L. RS.* 65, *P.* 33. *W.* 32.

♃. 7, 8. In fossis, locis inundatis vulgaris. — Variat in aquis erecta et vegetior, in exsiccatis multo minor, adscendens, radicans, in siccis sæpe pubescens.

13. **V. Anagallis.** *L. RS.* 64. *P.* 32. *W.* 31.

♃. 6—9. In fossis, rivulis, locisque aquosis ubique. — Planta insigniter polymorpha, habitu stricto aut patulo, nonnunquam caule basi radicente, nec non magnitudine a tripollicari ad bipedalem altitudinem.

14. **V. Beccabunga.** *L. RS.* 62. *P.* 31. *W.* 30.

♃. 6—9. Cum priori, neque minus frequens, neque minus polymorpha, facile tamen foliis utrinque rotundatis, aliisque notis ab illa discernenda.

15. **V. officinalis.** *L. RS.* 80. *P.* 17. *W.* 17.

♃. 6 — 8. In sylvaticis sterilioribus frequens. — Variat floribus albis et dilute purpureis, nec non rarius racemis compositis.

16. **V. montana.** *L. RS.* 104. *P.* 38. *W.* 37.

♃. 5, 6. In sylvis umbrosis, haud adeo rara. — Racemis paucifloris, capsula majuscula, orbiculata, compressa, ciliata, acute marginata, facile a sequente, cui cæterum similis, distinguenda.

17. **V. Chamædrys.** *L. RS.* 97. *P.* 39. *W.* 38.

♃. 5—7. Vulgatissima in umbrosis, rarior in apricis. — Caulis plerumque bifariam pilosus; folia sessilia.

Variat autem caule subglabro, nec non undique hirsuto, ita tamen, ut semper bifariam pilis densioribus obsitus sit. Folia nunc latiora, nunc angustiora, interdum petiolata.

18. **V. latifolia.** *Aiton.* *RS.* 88. *P.* 47. *W.* 44.

♃. 6, 7. In pascuis, ad vias: ad fluvium *Lippe!*; *Lengerich am Galgenberge,* B.; *Bielefeld* versus *Uehrendorf,* A.; præprimis vero copiose ad ripas *Rheni* fluminis! — Planta polymorpha, olim multis dubiis vexata, nunc demum rite cognita. Quid sit autem vera Linnæi V. Teucrium, latet adhuc. In pascuis *Rhenanis* observavimus præcipue duas varietates, quarum altera, paulo serius florens, descriptionibus omnino respondet, altera vero præcocior capsulas gerit glaberrimas, nec ciliatas.

19. **V. prostrata.** *L.* *RS.* 82. *P.* 36. *W.* 35.

♃. 5, 6. In pascuis siccis sterilioribus ad ripas fluvii *Lippe* prope *Dorsten* rarissime! — Præcedente minor; capsula calycesque semper glaberrimi.

20. **V. præcox.** *Allione.* *RS.* 127. *P.* 61.

☉. 4, 5. In agris, arvis siccis, præcipue argillosis passim, haud frequens. — Erectiuscula, subcarnosa, floribus pedunculatis.

21. **V. arvensis.** *L.* *RS.* 129. *P.* 51. *W.* 48.

☉. 3—8. In agris, cultis et incultis ubique. — Pedunculi brevissimi, inferiores interdum paulum elongati.

22. **V. agrestis.** *L.* *RS.* 130. *P.* 50. *W.* 47.

☉. 3—10. Ubique in agris et cultis. — Calycis laciniæ oblongo-ovatæ obtusæ; pedunculi pilosi; corolla albida, limbo pallide roseo seu cærulescente.

23. **V. polita.** *Fries.*

☉. 4—9. Cum priori fere ubique. — Distinguitur a præcedente colore ut plurimum saturatius viridi, laci-

niis calycinis triangularibus acutiusculis semitrinervibus, pedunculis glabriusculis, corolla eleganter azurea; neque illi ceu varietas subscribi potest, quum promiscue cum ea crescat, notisque allatis absque formis intermediis constanter abundeque differat. Ad ripas *Rheni inferioris* hanc frequentem, præcedentem vero rarissimam vidisse recordamur.

24. V. hederæfolia. *L. RS.* 117. *P.* 53. *W.* 49.

⊙. 5, 6. In cultis et incultis, sepibus et ruderatis ubique. — In dumetis siccis gracillima, suberecta, foliis subtrilobis, caule superne sæpius trifariam piloso, calycibus lato-cordatis trinerviis; in cultis pinguioribus succulenta, prostrata, foliis profunde incisis, caule glabriusculo aut hirsuto, calycibus angustioribus, nervis inconspicuis.

25. V. triphyllos. *L. RS.* 116. *P.* 57. *W.* 51.

⊙. 4—6. In agris et cultis, præcipue sabulosis copiose. — In locis siccis sterilibus interdum occurrit caule tenello simplicissimo, foliorum laciniis angustissimis.

26. V. verna. *L. RS.* 114. *P.* 58. *W.* 52.

⊙. 4, 5. In muris, arvis siccis rarior: *Münster*, K.; *Anholt! Rees!* — Folia inferiora ovalia, vix crenata, intermedia digitata, superiora linearia, indivisa, pedunculo longiora.

7. GRATIOLA. *L. RS.* 70. *P.* 52. *W.* 49.

27. G. officinalis. *L. RS.* 1. *P.* 1. *W.* 1.

♃. 6—8. In pratis udis: *Rheine* ad pagum *Catenhorn bei der Schule*, M.; haud longe extra fines abundanter ad viam publicam inter *Wesel* et *Dinslaken!* — Herba sterilis primo intuitu facile pro Achillaea Ptarmica aut Scutellaria galericulata habetur. Flores axillares, corollæ tubo elongato, pallide carneo.

8. PINGUICULA. *L. RS.* 87. *P.* 55. *W.* 53.

28. **P. vulgaris.** *L. RS.* 1. *P.* 2. *W.* 2.

♃. 5, 6. In pratis et pascuis humidis ubique.

9. UTRICULARIA. *L. RS.* 88. *P.* 56. *W.* 54.

29. **U. vulgaris.** *L. RS.* 12. *P.* 8. *W.* 3.

♃. 6—8. In fossis turfosis, stagnantibus passim, haud adeo rara. — Labium superius palato æquale; folia pinnato-multifida, ampullifera; corolla vitellina, striis aurantiis.

30. **U. intermedia.** *Hayne. RS.* 13. *P.* 9.

♃. 6—8. In palustribus: ad villam *Bentlage* prope *Rheine*, rarior, M. — Labium superius palato duplo longius; folia tripartito-dichotoma, non ampullifera; ampullæ tantum ad ramos aphyllos; corolla pallidior, striis sanguineis.

31. **U. minor.** *L. RS.* 14. *P.* 10. *W.* 4.

♃. 6—8. In fossis turfosis: *Dülmen bei der Entenkoi*, N.!; *Rheine* cum præcedente, M.; *Coesfeld im Steveder Venne!* — Calcar carinatum; labium superius emarginatum palato æquale; folia tripartito-dichotoma, ampullifera; corolla pallide flavescens, striis ferrugineis.

10. LYCOPUS. *L. RS.* 90. *P.* 60. *W.* 57.

32. **L. europæus.** *L. RS.* 1. *W.* 1.
L. vulgaris. *Pers. P.* 2.

♃. 6—9. Locis humidis, ad ripas vulgaris. — Varietas laciniata, nonnunquam cum L. exaltato L. confusa, interdum occurrit in umbrosis humidis. Aliam varietatem memorabilem, caule semipedali, radice incrassata, cavernosa, invenies in turfosis pagi *Stevede* prope *Coesfeld!*

## 11. SALVIA. *L. RS.* 96. *P.* 64. *W.* 63.

33. **S. pratensis.** *L. RS.* 107. *P.* 34. W. 24.

♃. 5—7. In pratis: rarior ad fl. *Lippe!*; copiose ad ripas *Rheni* prope *Rees* et *Emmerich!* — Variat corollæ magnitudine atque colore.

## 12. CIRCÆA. *L. RS.* 104. *P.* 45. W. 43.

34. **C. lutetiana.** *L. RS.* 1. *P.* 1. W. 1.

♃. 6—8. In umbrosis humidis vulgaris. — Caulis erectus foliaque pubescentes; racemus plerumque solitarius.

35. **C. intermedia.** *Ehrhart. RS.* 2. *P.* 1*. W. 2β.

♃. 7, 8. In alnetis turfosis in pago *Stevede* prope *Coesfeld* non rara! — Dissentientibus autoribus, hanc plantam caule adscendente parcius pubescente, racemis pluribus instructo, foliisque basi cordatis sequenti, floribus vero atque fructibus priori proximam, ceu specie ab utraque distinctam enumerare maluimus.

36. **C. alpina.** *L. RS.* 2β. *P.* 2. W. 2.

♃. 7, 8. Locis turfosis, ad radices alnorum putridas: *Dülmen im Süskenbruche*, N.!; *Halteren im Sythenschen Holze! Darup im Ramesbruch!* in alnetis inter *Lengerich* et *Leden*, B. — Tota glabra, caule humili diffuso, geniculis rubris foliisque pellucidis, racemis plurimis.

## 13. CLADIUM. *Schrader. RS.* 112.

37. **C. germanicum.** *Schrad. RS.* 1.
Schoenus Mariscus. *L. P.* 121, 1. W. 111, 1.

♃. 6—8. In palustribus, ad stagnantium ripas: *Münster auf der Koerheide,* H. et K.!; extra fines prope *Dinslaken!* — Culmus 4—6 pedalis; folia rigida,

apice triquetra, acute serrata; flores corymboso-conferti, spiculis fuscescentibus.

---

## D I G Y N I A.

### 14. ANTHOXANTHUM. *L.* *RS.* 115. *P.* 72. W. 72.

38. A. odoratum. *L.* *RS.* 1. *P.* 1. W. 1.

♃. 5, 6; atque sæpius iterum 8, 9. In pascuis, pratis, agris et sylvaticis ubique vulgare. — Odor plantæ siccatæ gratus, virentis nauseosus. — Locis pinguibus umbrosis occurrit rarius versus autumnum panicula densa atrovirente, glumis pubescentibus; varietas ergo, non regionibus tantum australioribus propria.

---

## CLASSIS III.

# TRIANDRIA.

## MONOGYNIA.

---

15. VALERIANA. *L. RS.* 119. *P.* 77. W. 75.

39. **V. officinalis.** *L. RS.* 12. *P.* 17. W. 6.

♃. 6, 7. In dumetis humidis, ad fossas vulgaris; rarius apud nos occurrit in siccis, statura minore, foliolis angustioribus, odore graviore.

40. **V. sambucifolia.** *Mikan. RS.* 13.

♃. 6—8. Locis uliginosis subumbrosis, ad margines fossarum passim, præcipue in regionibus turfosis non rara. — Præcedenti affinis, differt vero caule ad basin teretem tantum hispido, foliis radicalibus 3paribus, nec 8—9 paribus, foliolis basi inaequalibus, latioribus, grosse dentatis, superne glabris, subtus ad nervos et ad marginem pilosis.

Obs. V. Phu L., olim satam prope *Münster vor Ægidii Thor*, nunc laete ibidem vigentem, non inter inquilinas censendam putamus.

41. **V. dioica.** *L. RS.* 2. *P.* 6. W. 4.

♃. 5, 6. In pratis udis et sylvaticis humidis ubique. — Plantis fœmineis corymbus densior floresque minores, quam masculis.

16. FEDIA. *Gærtner. RS.* 120.

42. **F. dentata.** *Vahl. RS.* 6.

Valeriana olitoria var. δ L. *P.* 77, 38. W. 75,26.

⊙. 6—8. Inter segetes, praecipue solo lutoso aut argillaceo. — Fructus ovatus glaber. Memorabilem hujus plantae varietatem legimus in agris argilloso-calcareis prope *Darup* et *Coesfeld* floribus omnibus axillaribus, remotis, solitariis, caule a basi ramosissimo, a 1/2 ad 1 1/2′ alto, radice, ut videbatur, perenni, mense Majo florentem.

43. F. dasycarpa. *Steven.* *RS.* 21.

⊙. 7, 8. Inter segetes prope *Handorf! Halteren! Rheine!* et procul dubio aliis in locis. — Priori valde affinis, atque forsan ejus varietas, facile autem discernenda fructu antice minus complanato, undique pilis albis uncinatis vestito.

44. F. olitoria. *Gærtner.* *RS.* 4.

Valeriana olitoria. *L.* *P.* 77, 37. W. 75, 25.

⊙. 4, 5, atque iterum 7, 8. In cultis et inter segetes ubique vulgaris.— Similem, uti jam de F. dentata mentionem fecimus, hujus plantae varietatem legimus prope *Rheine*, floribus omnibus remotis solitariis, caule a basi ramosissimo, radice vero evidenter annua, florentem initio mensis Augusti.

45. F. Auricula. *Decandolle.* *RS.* 13.

⊙. 6—8. Inter segetes prope *Handorf! Wiedenbrück! Rheine! Halteren!* alibique non rara. — F. dentatae similis, differt vero caule angulis membranaceis, fructibus crassioribus, ovatis, ventricosis, costis 5 aequaliter ab invicem distantibus, sulcoque unico notatis, calyce obliquo, plerumque tridentato, formam auriculae felinae (unde nomen) referente, coronatis.

17. MONTIA. *L.* *RS.* 395. *P.* 203. W. 155.

46. M. fontana. *L.* *P.* 1. W. 1.

*α.* *M. minor.* *Gmelin.* RS. 1. P. 1. *α.*

*β.* *M. rivularis.* *Gmelin.* RS. 2. P. 1*β.* W. 1*β.*

⊙. 5—8. Locis humidis frequens, *α* in exsiccatis, *β* in ipsa aqua saepius ad fontes et rivulorum margines. Prior exigua, carnosa, depressa, radicans; posterior suberecta, flaccida, gracilis, caulibus filiformibus, semipedalibus et ultra. Hasce vero varietates specie non esse disjungendas, unusquisque facile compertum habebit, qui plantas spontaneas sedule observaverit.

18. IRIS. *L.* *RS.* 133. *P.* 107. W. 97.

47. **I. Pseudacorus.** *L.* *RS.* 33. *P.* 30. W. 24.

♃. 5. In fossis, ad ripas ubique. — Flores flavi, speciosi.

48. **I. sibirica.** *L.* *RS.* 61. W. 44.

I. pratensis. *Lamark.* *P.* 54.

♃. 5, 6. In pratis prope *Anholt* sponte provenire dicitur, dubia civis, nobis non visa. — Flores cœrulei, venis violaceis; folia angusta.

Obs. I. pumilam aeque ac germanicam, ceu hortorum aufugas, quamvis passim obvias, de consulto hic omittimus.

---

## *FLORES GLUMACEI.*

19. CYPERUS. *L.* *RS.* 183. *P.* 122a. W. 112.

49. **C. flavescens.** *L.* *RS.* 103. *P.* 46. W. 39.

⊙. 6—8. In pascuis humidis, uliginosis: *Dülmen im Leusterbruche,* N.!; *Darup in der Mark!* prope *Oelde!* alibique haud vulgaris. — Spiculae flavae, stigmata bina.

50. **C. fuscus.** *L. RS.* 104. *P.* 47. W. 40.

⊙. 6—8. In argillosis inundatis: *Dülmen im Süskenbruch*, N.!; *Darup im Höveler Bruche!* rarius. — Spiculae atrofuscae, stigmata tria. Varietas, uti ajunt, hujus plantae virescens (*Hoffm. Fl. Ger.*) e regionibus nostris plane exul esse videtur.

## 20. SCIRPUS. *L. RS.* 177. *P.* 123. W. 113.

51. **S. palustris.** *L. P.* 9. W. 6.

Eleocharis palustris. *R. et S. RS.* 178, 9.

♃. 6—8. Locis humidis, in fossis et palustribus vulgaris. — Glumae infimae aequales, oppositae. Variat insigniter magnitudine.

52. **S. uniglumis.** *Link.*

S. intermedius. *Thuill.* P. 10 β.?

*α. vulgaris*, culmis spithamaeis seu pedalibus.

*β. pumilus*, culmis 2—4 uncialibus rigidis.

*γ. salinus*, culmis gracilioribus elongatis, spica breviore.

♃. 5—8. In pascuis uliginosis subturfosis passim: copiose prope *Münster in Mauritz-Heide!* inter *Nobiskrug* et *Telgte! Dissen! Bentheim!* alibique haud rarus. — Praecedenti similis, differt vero caule graciliori, superne vix compresso, laete viridi, nunquam glaucescente; vaginis apice ustulatis, saepius laceris; praecipue vero spica atrofusca, minus densa, gluma infima majore subamplexicauli, plerumque apice lacera, omnibus nervo dorsali pallidiore, nec viridi. Radix repens et nux in utroque conformes. — Praecedenti revera valde affinis.

53. S. **multicaulis.** *Smith.* *RS.* 13. *P.* 10.

*β. viviparus*, culmis procumbentibus, flosculis viviparis.

♃. 6—8. Locis turfoso-paludosis versus *Gronau!* et *Bentheim!* rarius, contubernium amans *Myricae*, *Hyperici elodes* etc.; non longe extra fines copiose prope *Dinslaken!* — Planta nunc primum in Germania observata, a praecedentibus discrepat: radice fibrosa; culmis numerosis in caespitem conjunctis, diffusis, spithameis, pedalibus, gracilibus, teretibus, vaginis duabus, interiore apice oblique truncata, subacuta; glumis apice obtusis, rotundatis, inferioribus reliquas fere aequantibus, latitudine inaequali, apice demum emarginato-crenatis; stigmatibus tribus; nuce minore, basi angustata, acute triquetra, rudimento styli acuto coronata.

54. S. **ovatus.** *Roth.* *P.* 18. W. 13.

Eleocharis ovata. *R.Brown.* *RS.* 178, 10.

☉. 6—8. Ad margines humidos piscinarum et stagnantium, solo lutoso: prope *Anholt! Emmerich! Rees!* alibique haud ita frequens. — Spicae subglobosae ovatae, multiflorae, densae; stigmata 2; nux flavescens, compressa, margine acuto.

55. S. **acicularis.** *L.* *P.* 21. W. 16.

Eleocharis acicularis. *R. et S.* *RS.* 178, 18.

☉. 6—9. Ad margines fossarum et piscinarum ubique copiose. — Culmi caespitosi, fere setacei; spicae pauciflorae.

56. S. **cespitosus.** *L.* RS. 3. P. 13. W. 9.

*β. comosus*, *Nobis.*

♃. 5, 6. In ericetis et turfosis locis siccioribus fere ubique. — Vaginae in rudimentum folii desinentes. —

Locis turfosis memorabilem legimus variatem *β*, spicis maturo semine coma foliosa coronatis, qua simul indicatur, culmos steriles non pro foliis habendos esse.

57. S. Baeothryon. *Ehrhart.* RS. 5. P. 14. W. 10.

*β. S. campestris. Roth.* RS. 4. P. 16. W. 11.

♃. 6, 7. In pascuis humidis, ad fossarum margines, *β* in pascuis sterilibus sabulosis aestate exsiccatis vulgaris. — Vaginae absque folii rudimento. Varietas *β* statura tantum minore differt, neque specie a priore distingui potest.

58. S. fluitans. L. P. 22. W. 17.

Isolepis fluitans. *R. Brown.* RS. 176, 1.

♃. 7—9. In fossis et paludosis turfosis: *Dülmen bei der Entenkoi*, N.!; *Coesfeld* versus *Stevede!*; *Rheine*, M.; multisque locis versus *Hollandiae* fines, non rarus. — Caulis elongatus, saepe basi radicans, natans; spiculae pedunculatae emersae. Locis exsiccatis occurrit statura pumila, subcaespitosa, caule depresso bipollicari, radicali.

59. S. lacustris. L. RS. 50. P. 33. W. 18.

♃. 6, 7. In fluviis, piscinis et palustribus vulgaris. — Vaginae in folium desinentes; stigmata tria; nux trigona.

60. S. Tabernæmontani. *Gmelin.* RS. 51. P. 33 *β*.

*α. salina*, *Nobis*, culmo plerumque minore glauco.

*β. paludosa*, *Nobis*, culmo elatiore viridi.

♃. 6, 7. In palustribus, uliginosis, *α* praesertim in locis salsis prope *Dissen!* extra fines prope *Salzkotten!*; *β* ad ripas fluvii *Berkel an dem Kirchhofe* prope *Coesfeld!*; nec non *am Münsterischen Kanal zwischen den*

*beiden Schleusen!* — Praecedente plerumque minor; vaginae aphyllae; nux compressa, margine acuto, nec trigona; stigmata duo. In varietate β culmus plerumque elatior, viridis, nec glaucus; paniculae rami inaequales, magis elongati; valvulae punctis crebrioribus scabrae, earumque margo latior, crenulatus vel subciliatus. Propter culmum apice nequaquam subtriquetrum hanc varietatem pro Sc. Duvalii habere non possumus.

61. S. triqueter. *Roth.* RS. 63. P. 54. W. 46.

♃. 7, 8. Ad ripas fl. *Rheni* prope *Rees* et *Emmerich!* haud ita frequens. — A praecedentibus culmo triquetro, staturaque saepe minore statim dignoscendus.

62. S. setaceus. *L.* *P.* 39. W. 31.

Isolepis setacea. *R. Brown.* RS. 176, 10.

♃. 6—8. In pascuis sylvaticis humidioribus fere ubique. — Variat spiculis (lateralibus) 1 ad 4.

63. S. maritimus. *L.* RS. 59. P. 67. W. 55.

♃. 7, 8. Ad ripas fluviorum *Lippe* et *Emse* copiose. — Variat radice tuberosa, Sc. tuberosus *Desfont.*, atque spiculis omnibus sessilibus confertis, Sc. compactus *Hoffmann*, quos vero ne quidem ceu varietates a vulgari separandos habemus.

64. S. sylvaticus. L. RS. 66. P. 71. W. 58.

♃. 6, 7. In fossis et pratis udis ubique abundat.

65. S. radicans. *Schkuhr.* RS. 67.

Sc. sylvaticus β. *Willd.* P. 71 β. W. 58 β.

♃. 7 - 9. In pratis humidis prope *Rheine*, M. -- Praecedenti valde similis, recognoscitur vero spiculis omnibus solitariis, longioribus, acutioribus. Culmi steriles demum elongati, apice radicantes.

66. S. compressus. *Persoon.* P. 23.
Schoenus compressus. L. RS. 169, 18.
Scirpus Caricis. *Willd.* W. 8.

♃. 6—8. In pascuis humidis, praecipue argillosis frequens. — Involucri longitudo apud nos minime constans. Variat in pascuis salsis prope Dissen! culmis gracilioribus, semper glaberrimis, apice interdum teretiusculis, spiculis paucifloris, attamen a Sc. rufo *Schrad.* satis distinctus.

21. SCHOENUS. L. P. 121. W. 111.

67. S. albus. L. P. 38. W. 35.
Rhynchospora alba. *Vahl.* RS. 173, 20.

♃. 6 — 8. In ericetis humidis turfosis abundat. — Capitulum album; stamina 2; radix fibrosa; nux setis 8 — 10 suffulta.

68. S. fuscus. L. P. 11. W. 11.
Rhynchospora fusca. R et S. RS. 173, 21.

♃. 6, 7. Cum priori, nec minus frequens. — Capitulum fuscum; stamina 3; radix stolonifera; folia duplo angustiora; nux setis 3 — 4 instructa.

22. ERIOPHORUM. L. RS. 180. P. 125. W. 115.

69. E. vaginatum. L. RS. 2. P. 1. W. 1.

♃. 4, 5. In turfosis ubique. — Spica solitaria.

70. E. latifolium. *Hoppe.* RS. 6.
E. vulgare *Pers.* P. 4. E. polystachyum. L. W. 2.

♃. 4, 5. In pratis udis passim: Dülmen prope *Osthoff*, N.!; *Darup am Sudfelde!* alibique non adeo rarum. — Folia breviora latiora, planiuscula; pedunculi scabri.

71. **E. angustifolium.** *Roth.* RS. 5. P. 5. W. 3.

♃. 4, 5. In turfosis et pratis uliginosis adeo frequens, ut nomen *weisse Venne* inde ortum videatur. — Folia angusta, longa, basi canaliculata; pedunculi glabri; lana omnium longissima.

72. **E. gracile.** *Koch.* P. 6.

E. triquetrum. *Hoppe.* RS. 4.

♃. 5, 6. In pratis paludosis et in turfosis profundis: prope *Coesfeld! Dorsten!* certe etiam pluribus locis, cum praecedente confusum. — Folia ad basin fere usque triquetra, breviora; pedunculi incano tomentosi, retrorsum scabriusculi; culmus gracilis.

23. NARDUS. L. RS. 204. P. 138. W. 117.

73. **N. stricta.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 6, 7. In ericetis sabulosis et pascuis aridis ubique abundat. — Culmi plures, rigidi; spica secunda.

## DIGYNIA.

24. PANICUM. L. RS. 260. P. 157. W. 127.

74. **P. sanguinale.** L. W. 28.

Digitaria sanguinalis. *Scopol.* RS. 266, 1. P. 158, 1.

⊙. 6 — 8. In agris et arvis arenosis passim haud vulgare: prope *Darup! Coesfeld!* nec non *Rhenum* versus! — Folia vaginaeque pilosiusculae.

75. **P. glabrum.** *Gaudin.*

Digitaria humifusa. *Rich.* P. 158, 2. Dig. glabra. *P. Beauvois.* RS. 266, 7.

*β. lasiocarpa*, fructibus villosis.

☉. 7, 8. In cultis et incultis arenosis ubique copiose. — Folia vaginaeque glabrae. Varietas β, glumis villo denso obsitis, frequens prope *Dorsten!*

76. **P. Crus-galli.** L. P. 14. W. 13.

Echinochloa Crus galli. *P. Beauv.* RS. 270, 6.

☉. 7, 8. In agris et cultis sabulosis vulgare nimis vitium. — Variat spicis aristatis et muticis, nec non colore omnium partium flavescente aut purpurascente, atque magnitudine varia.

77. **P. verticillatum.** L. P. 4. W. 3.

Setaria verticillata. *P. Beauv.* RS. 272, 3.

☉. 7, 8. In cultis et agris rarius: prope *Anholt! Rees! Emmerich!* — A sequentibus facile distinguitur panicula basi interrupta, tactu scaberrima, vestibus adhaerente.

78. **P. viride.** L. P. 7. W. 6.

Setaria viridis. R et S. RS. 272, 4.

☉. 7, 8. In hortis ubique frequens. — Insigniter variat magnitudine, nec non colore purpurascente.

79. **P. glaucum.** L. P. 6. W. 5.

Setaria glauca. R et S. RS. 272, 8.

β. *elongatum.* *Pers.* P. 6β.

☉. 7, 8. In cultis, inter stipulas satis frequens, interdum et in pratis sabulosis vidimus plantam. — A praecedentibus discernitur colore flavescente, setis fulvis, fructu majore. Varietas β, culmo ultrapedali, saepe ramoso, nunc occurrit basi geniculato prostrato in agris sabulosis, nunc vero erecto in humidis lutosis.

80. **P. miliaceum.** L. RS. 33. W. 49.

P. Milium. *Pers.* P. 50.

☉. 7, 8. Planta non raro culta versus *Rhenum* indeque passim ceu spontanea in agris, vix inquilina.

25. CYNODON. *Richard.* RS. 248. P. 169.

81. **C. Dactylon.** *Rich.* RS. 1. P. 1.
Panicum Dactylon. L. W. 127, 29.

♃. 7 — 9. In pascuis siccis arenosis: rarius ad ripas fluv. *Lippe* infra *Dorsten!* copiose ad ripas *Rheni!* Spicæ digitatæ.

26. ALOPECURUS. L. RS. 209. P. 154. W. 129.

82. **A. pratensis.** L. RS. 4. P. 2. W. 3.

♃. 5 et 9. In pratis humidiusculis macris: *Dülmen,* N.; *Coesfeld! Münster!* alibique. — Varietatem Weihianam spicis digitatis nondum observavimus.

83 **A. agrestis.** L. RS. 10. P. 5. W. 6.

☉. 6, 7. Inter segetes, præcipue solo argilloso vitium nimis frequens. — Panicula spicæformis, sursum attenuata, acuta.

84. **A. geniculatus.** L. RS. 12. P. 7. W. 7.

♃. 6 — 8. In pratis humidis, fossis aquosis passim, non infrequens.

85. **A. fulvus.** *Smith.* RS. 13.

♃. 6 — 8. Cum priori atque illo fere frequentior prope *Darup! Coesfeld! Münster! Bentheim!* pluribusque procul dubio locis. — Praecedenti similis, recognoscitur vero primo intuitu colore magis glauco, antheris demum croceis, nec fuscis, brevioribus, arista e medio aut infra medium dorsi glumae erumpens, eamque aequante aut paulo tantum superante, nec

infra medium sita glumaque sua duplo longiore. De crassitie et circumscriptione spicarum secundum nostras observationes certum inter utramque plantam discrimen desumi nequit.

27. LEERSIA. *Swartz.* P. 143. W. 124.

86. **L. oryzoides.** *Swartz.* P. 1. W. 1.
Asprella oryzoides. *Lamarck.* RS. 208, 1.

♃. 8, 9. Ad ripas fl. *Rheni* rarius! — Panicula ex parte intra vaginam superiorem latens; spiculae eam superantes ut plurimum steriles.

28. PHALARIS. L. RS. 246. P. 151. W. 125.

87. **P. canariensis.** L. RS. 1. P. 2. W. 1.

☉. 7. 8. Planta passim culta in hortis, indeque aufuga nonnunquam quasi spontanea occurrit.

88. **P. arundinacea.** L. RS. 13. P. 1.
Arundo colorata. *Aiton.* W. 144, 10.

♃. 6, 7. Ubique in dumetis humidis, ad ripas fluviorum et stagnantium. — In spontaneis observantur flores albi et eleganter variegati; varietatem β pictam L. non nisi cultam in hortis vidimus, ex oriente, uti ajunt, advectam.

29. PHLEUM. L. RS. 233. P. 153. W. 128.

89. **P. pratense.** L. RS. 1. P. 4. W. 1.
β. *P. nodosum.* L. P. 7. W. 4.
γ. *bracteatum*, *Nobis*, spica bractea suffulta.
δ. *viviparum.* *Roth.*

♃. 5—10. In pratis, pascuis et sylvaticis vulgare;

β in sterilioribus siccis; γ rarissime in pratis pinguioribus, unica tantum vice lectum; δ autumno in solo fertili atque in plantis iterum florentibus, non adeo rara varietas, immerito vivipara dicta, sed potius glumis luxuriantibus insignita.

### 30. MILIUM. L. RS. 218. P. 145. W. 130.

90. **M. effusum.** L. RS. 2. P. 9. W. 7.

♃. 5, 6. Ubique in nemorosis umbrosis. — Planta 4pedalis et ultra, panicula diffusa, spiculis solitariis.

### 31. AGROSTIS. L. RS. 229. P. 146. W. 131.

91. **A. spica venti.** L. RS. 83. P. 1. W. 1.

⊙. 6, 7. Inter segetes praesertim hyemales nimis copiose, interdum in dumetis et ambarvalibus.

92. **A. vulgaris.** *Withering.* RS. 18. P. 21.

♃. 7, 8. In pratis, arvis, sylvaticis vulgatissima ubique locorum. — Planta maximopere varians, indeque olim multis dubiis vexata, nunc synonymis obruta, quae hoc loco enarrare per spatium non licet.

93. **A. alba.** L. RS. 9. P. 25. W. 28.

♃. 7, 8. In pratis, arvis frequens. — Praecedenti similis, nec minus polymorpha habitu, magnitudine et colore. Distinguitur vero primo intuitu panicula apice attenuata, verticillis densis, spiculis brevius pedicellatis, pedunculis sub anthesi patentibus, nec ut in priore divergentibus laxis, post anthesin iterum contractis, quod non in illa.

94. **A. canina.** L. P. 13. W. 16.

Trichodium caninum. *Schrader.* RS. 211, 1.

♃. 7, 8. In pratis et pascuis, praecipue turfosis vulgaris. — Praecedentibus, praesertim A. vulgari simillima, statim vero sine ulteriore analysi foliorum fasciculis e radice culmique nodis inferioribus erumpentibus haud ægre dignoscenda. Et in hac specie indoles generis polymorpha synonyma et dubia nimis accumulavit.

Obs. Cel. *Dr. Wilbrand,* botanices prof., in litteris monet, tres ultimas species heic enumeratas, pro loco natali nimis variabiles, in unam speciam sibi videri conjungendas.

32. ARUNDO. L. RS. 283. P. 183. W. 144.

95. **A. Calamagrostis.** L. P. 11. W. 9.

Agrostis lanceolata. R et S. RS. 229, 64.

♃. 6, 7. Locis humidis, ad sepes et fossarum margines: *Rheine,* M.; *Darup am Sudfelde! Wiedenbrück! Bielefeld am Lutterbach,* A. — Valvula inferior gluma duplo aut triplo minor, ad apicem emarginatam arista brevi instructa.

96. **A. Epigeios.** L. RS. 1. P. 9. W. 8.

♃. 7, 8. In sylvaticis, dumetis siccis haud infrequens. — In nostratibus culmos semper superne scaberrimos vidimus. Gramen durum, culmis usque in sequentem annum persistentibus.

97. **A. arenaria.** L. P. 13. W. 11.

Psamma arenaria. *P. Beauv.* RS. 387, 1.

♃. 6—8. In omni arena mobili stirps vulgatissima. Rigida, pallida; panicula spicæformis.

33. PHRAGMITES. *Trinius.*

98. **P. communis.** *Trinius.*

Arundo Phragmites. L. RS. 283, 23. P. 183, 4. W. 144, 2.

*α. vulgaris*, spiculis subquinquefloris.

*β. uniflora*, spiculis unifloris.

♃. 7, 8. Ad ripas, et in pratis et agris humidis ubique; β ad ripas *Rheni* priore fere vulgatior, forsan specie distinguenda, altitudine haud minore, sæpius majore.

### 34. ARRHENATHERUM. *P. Beauv.* RS. 275.

99. **A. elatius.** *P. Beauv.* RS. 1.

Avena elatior. L. P. 179, 14. W. 142, 2.

♃. 5, 6. In pratis et pascuis siccioribus: ad ripas fl. *Lippe*, N.! *Coesfeld! Münster!* alibique haud frequens. — Calyx biflorus, cum rudimento tertii floris; flos inferus masculus.

### 35. HOLCUS. L. RS. 326. P. 150. W. 1865.

100. **H. lanatus.** L. RS. 2. P. 1. W. 15.

♃. 6 — 9. In pratis, pascuis, dumetis et nemorosis ubique.

101. **H. mollis.** L. RS. 1. P. 2. W. 14.

♃. 6 — 9. In arvis, dumetis et sylvaticis frequens. — Differt a præcedente simili radice repente, nec fibrosa; spiculis fuscescentibus, nec rubescentibus; arista flosculi masculi exserta, nec inclusa; vaginis foliorum glabris, nec pubescentibus.

### 36. AIRA. L. RS. 329. P. 148. W. 132.

102. **A. cæspitosa.** L. P. 9. W. 7.

Deschampsia cæspitosa. *P. Beauv.* RS. 330, 1.

♃. 6, 7. In pratis humidiusculis et sylvaticis udis vulgaris. — In pascuis et pratis spiculæ ante anthesin eleganter nitidæ purpuratae, in umbrosis humidis vero albidæ.

103. A. flexuosa. L. RS. 1. P. 11. W. 8.

♃. 6, 7. In sylvaticis siccis frequens. — Paniculæ rami plerumque flexuosi.

104. A. uliginosa. *Weihe et Nobis.*
Deschampsia discolor. R et S. RS. 320, 2. (?)

♃. 8, 9. In uliginosis turfosis, sæpe in ipsa aqua: *Bentheim! Gronau! Rhede! Bocholt!* — Differt a præcedente, cui valde similis: foliis angustissimis planis vel complicatis, nec tereti-filiformibus solidis, ligula longa acuminata, panicula magis multiflora, spiculis duplo minoribus, glumis obtusioribus, fere æqualibus, flosculis multo minoribus, altero axi elongato dimidium flosculi inferioris æquanti, nec quartam ejus partem vix attingenti, insidente, valvula corollæ inferiore latiuscula; porro loco natali, temporeque florendi.

105. A. canescens. L. P. 15. W. 12.
Corynephorus canescens. *P. Beauv.* RS. 331, 1.

♃. 6 — 8. In arenosis sterilibus copiose.

37. AVENA. L. RS. 328. P. 179. W. 142.

106. A. sativa. L. RS. 4. P. 7. W. 13.

⨀. 6, 7. Planta incertæ patriæ, ubique culta. — Variat fructibus fuscis, nec non spiculis muticis.

107. A. orientalis. *Schreber.* RS. 5. P. 6. W. 12.

⊙. 7, 8. Passim colitur, at præcedente rarius. — Panicula elongata, secunda, nutans.

108. A. strigosa. *Schreber.* P. 5. W. 11.

Danthonia strigosa. *P. Beauv.* RS. 332, 5.

⊙. 7, 8. Colitur copiose in agris arenosis sterilioribus. — A præcedente, cui panicula contracta subsecunda similis, distinguitur flosculis calycem aequantibus utrinque dorso aristatis, glumis apice bifidis, laciniis bidentatis, dente utrinque unico elongato. Variat seminibus albidis et fuscis.

109. A. fatua. L. RS. 7. P. 10. W. 16.

⊙. 7, 8. Inter segetes solo præcipue argilloso vitium nimis frequens. — Habitus A. sativæ, seminibus pilis fuscis vestitis discernenda.

110. A. flavescens. L. W. 23.

Trisetum flavescens. R et S. RS. 327, 21. Tris. pratense. *Pers.* P. 174, 7.

♃. 7 — 9. In pascuis siccis: *Lengerich auf der Voortlager Wiese*, B.; *Coesfeld auf der Zitadelle!* *Münster im Schloſsgarten!* ad fl. *Rhenum!* alibique haud frequens. — Panicula gracilis, flavescens, æqualis; spiculæ triflorae.

111. A. pubescens. L. P. 23. W. 21.

Trisetum pubescens. R. et S. RS. 327, 17.

♃. 5 — 7. In pascuis siccis: *Halteren* ad fl. *Lippe*, N.!; *Coesfeld auf der Zitadelle!* *Münster!* *Rheine!* aliisque locis non rara. — Folia vaginæque villosæ; glumæ diaphanae.

112. A. pratensis. L. RS. 20. P. 22. W. 29.

♃. 5 — 7. Similibus cum prioribus locis rara:

*Coesfeld! Münster! Lippstadt!* — Dignoscitur a praecedente simili foliis vaginisque glabris, scabris, ramis unifloris, spiculis 4 — 5 floris, paniculae elongatae ramis solitariis.

113. **A. caryophyllea.** *Weber.*

Aira caryophyllea. L. RS. 329, 7. P. 148, 19. W. 132, 15.

⊙. 5—7. In sterilibus arenosis ubique. — Gramen tenue, pallide rubescens, spiculis bifloris, foliis setaceis.

114. **A. praecox.** *P. Beauv.* RS. 1.

Aira praecox. L. P. 148, 18. W. 132, 14.

⊙. 4—6. Locis sabulosis in viis et pascuis vulgaris. — Planta vix digitalis, panicula spicaeformi, virescente.

38. MELICA. L. RS. 290. P. 149. W. 133.

115. **M. nutans.** L. RS. 2. P. 4. W. 6.

♃. 5, 6. In nemorosis umbrosis rarior: *Rheine,* M.; *Bielefeld,* A. — Sequente procerior, spiculis bifloris, pendulis.

116. **M. uniflora.** *Retz.* RS. 5. P. 5. W. 7.

♃. 5, 6. In dumetis et nemorosis: *Dülmen in Hinderkinks Busch,* N.! *Coesfeld am Berge! Münster!* alibique haud infrequens. — Spiculae erectae uniflorae.

39. KOELERIA. *Persoon.* RS. 320. P. 173.

117. **K. cristata.** *Pers.* RS. 1. P. 2.

Poa cristata. *Willd.* W. 134, 57.

♃. 6, 7. In pratis et pascuis sylvaticis rarius: *Oelde! Stromberg!* ad ripas fl. *Lippe* superioris!

copiose ad ripas *Rheni!* — Ultimo hoc loco occurrit varietas angustifolia, K. gracilis Persoonii, panicula coarctata, spiculis bifloris.

## 40. MOLINIA. *Schrank.*

118. **M. cœrulea.** *Mönch.*

Melica cœrulea. L. *Mant.* RS. 290, 16. W. 133, 11.

Aira cœrulea. L. P. 148, 4.

♃. 7, 8. In pratis, pascuis et sylvaticis sabuloso-turfosis ubique copiose. — Planta habitu admodum polymorpha, quarum varietates insigniores sunt: *α subspicata*, panicula contracta, cujus in pascuis sterilioribus occurrunt specimina vix digitalia, pauciflora; *β divaricata*, paniculae ramis distinctis, elongatis, divaricatis; *γ flavescens*, colore omnium partium, immo et antherarum e flavo pallide-virescente; *δ vivipara*, panicula spicaeformi, abbreviata, flosculis viviparis.

## 41. GLYZERIA. *R. Brown.* RS. 338.

119. **G. spectabilis.** *Mert. et Koch.*

Poa aquatica. L. RS. 294, 65. P. 168, 1. W. 134, 1.

♃. 7, 8. In fossis, ad ripas ubique fere cum Phragmite communi, eamque magnitudine aemulans.

120. **G. fluitans.** *R. Brown.* RS. 1.

Festuca fluitans. L. P. 171, 39. W. 139, 20.

♃. 5 — 9. In pratis humidis, fossis et inundatis vulgatissima. — Foliis flaccidis in aqua natantibus, ramis spiculisque arcte adpressis facile distinguenda.

121. **G. distans.** *Wahlenberg.*

Poa distans. L. RS. 294, 27. P. 168, 4. W, 134, 55.

♃. 5 — 8. In pratis et palustribus salsis: *Rheine! Dissen!* copiose. — Habitus fere Poae annuae, at colore glaucescente e longuinquo jam discernenda.

122. **G. aquatica.** *Presl.*

Aira aquatica. L. P. 148, 3. W. 132, 3.

Catabrosia aquatica. *P. Beauv.* RS. 339, 1.

♃. 6, 7. In fossis et rivulis lente fluentibus: *Dülmen im Süskenbruche,* N.! *Darup am Sudfelde!* alibique non ita rara. — Culmi adscendentes, subinde toti prostrati, inferne radicantes; panicula aequalis, e purpureo et viridi eleganter varia.

42. POA. L. RS. 294. P. 168. W. 134.

123. **P. Eragrostis.** L. P. 39. W. 24.

Eragrostis poaeoides. *P. Beauv.* RS. 295, 6.

☉. 6 — 8. In arvis arenosis, ad vias: *Brackwede prope Bielefeld,* A. — Gramen pulchellum, panicula aequali, spiculis 8 — 20 floris, variis, vaginis foliorum pilosis.

124. **P. annua.** L. RS. 8. *P.* 30. W. 16.

☉ et ♂. 3 — 11. In cultis et incultis nil frequentius.

Obs. P. bulbosam L., in pascuis aridis ad ripas *Rheni* non longe extra fines nostros degentem, e florula nostra non omnino exulem putamus.

125. **P. sudetica.** *Hænke.* RS. 52. P. 28. W. 13.

♃. 6, 7. In nemorosis sylvaticis montium Teutoburgicorum prope *Iburg!* pluribusque sine dubio locis. — Congenerum maxima, saepius 5pedalis, vaginis

compresso - ancipitibus, uti in Dactylo glomerato, a caeteris praeter alias notas non aegre distinguitur.

126. **P. trivialis.** L. RS. 4. P. 10. W. 6.

♃. 6 — 8. In pratis et pascuis subhumidis vulgaris. — Spiculae subtriflorae; culmi vaginaeque scabri, ligula elongata acuta, radix fibrosa.

127. **P. pratensis.** L. RS. 1. P. 12. W. 8.

♃. 5 — 7, In pratis et pascuis ubique copiose. — Spiculae 3 — 5florae, culmi vaginaeque glabri, ligula brevis obtusa, radix repens. Planta caeterum habitu et statura nimis variabilis, cujus formae eminentiores sunt:

1. In arena mobili, culmo palmari, foliis latissimis, 2pollicaribus, rigidis, spiculis purpurascentibus.

2. Ibidem culmo parum altiore, foliis rigidis 4pollicaribus angustioribus, spiculis purpurascentibus.

3. In pratis, glaucescens, culmo cum vaginis basi ancipiti, foliis angustatis, spiculis variegatis.

4. In pratis montosis, culmo humili, cum spiculis atropurpureo.

5. In pascuis tota laete viridis, humilis, foliis angustis.

6. In dumetis culmo 3pedali et ultra, foliis longis angustis, spiculis viridibus.

128. **P. fertilis.** *Host.*

P. palustris. *Villars.* RS. 50β.

♃. 6 — 8. In pratis et pascuis humidiusculis: *Darup am Sudfelde! Münster* in ambarvalibus versus *Lütjenbeck!* atque pluribus forsan locis, cum P. serotina confusa. — Culmis saepe basi radicantibus vaginisque glabris, ligula elongata, radice fibrosa, flosculis apice ochraceis, foliis ad basin plicatis

a praecedentibus; ligula vero elongata a sequente simillima dignoscenda.

Secundum observationes cel. D. et Prof. *Wilbrand*, *P. pratensis* gaudet culmo erecto, geniculis 2 ad 3; *P. trivialis* culmo adscendente, geniculis 4 ad 5, nunquam 3; *P. palustris* geniculis ultra 6, saepius 9.

129. **P. nemoralis.** L. RS. 28. P. 21. W. 47.

α. *vulgaris*, spiculis 2floris.

β. *firmula*, *Gaudin.* exelsior spiculis 4—5 floris.

γ. *coarctata*, *Gaudin.* firma, erecta, panicula contracta, spiculis 3—5 floris.

δ. *rigidula.* *Mert. et Koch.* P. serotina. *Schrad.* RS. 50.

♃. 7 — 9. Planta vulgatissima, α in sylvaticis umbrosis, β locis humidioribus, γ in muris et siccis apricis, δ in pratis. — In omnibus varietatibus culmi vaginaeque glabri (excepta var δ, ubi saepius scabriusculi) ligula subnulla, radix subrepens.

130. **P. compressa.** L. RS. 62. P. 32. W. 42.

♃. 6 — 8. In muris, pratis et arvis siccis vulgaris. — A congeneribus spiculis multifloris culmoque compresso facile distinguenda.

43. BRIZA. L. RS. 289. P. 169. W. 135.

131. **B. media.** L. RS. 3. P. 4. W. 3.

♃. 5, 6. In pratis et sylvaticis ubique. — Locis uliginoso - turfosis prope *Velen* legimus varietatem spiculis flavo - virescentibus, caeterum nullo discrimine a vulgari, spiculis eleganter variis, distinctam.

44. SESLERIA. *Arduin.* RS. 309. P. 136,

132. **S. coerulea.** *Arduin.* RS. 4. P. 1.

Cynosurus coeruleus. L. W. 138, 10.

♃. 4, 5. In calcareis siccis *montium Teutoburgicorum* versus *Tecklenburg* rarior. — Spica brevis, ovalis, coerulescens.

### 45. CYNOSURUS. L. RS. 287. P. 164. W. 138.

133. **C. cristatus.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 6, 7. In pratis et pascuis, praecipue solo argilloso aut lutoso gramen vulgatissimum. — Panicula spicaeformis, secunda, spiculis bracteis pectinatis suffultis.

### 46. DACTYLIS. L. RS. 321. P. 167. W. 137.

134. **D. glomerata.** L. RS. 1. P. 2. W. 4.

♃. 6 — 8. In dumetis, pratis ubique. — Panicula secunda, ramis porrectis, spiculis glomeratis. Variat rarius floribus viviparis.

### 47. FESTUCA. L. RS. 344. P. 171. W. 139.

135. **F. bromoides.** L. RS. 34. P 19. W. 1.

⊙. 6. In pascuis arenosis prope *Hullern!* rarissime. — Panicula secunda, spicaeformis; culmus superne nudus.

Obs. F. Myurum L., alibi vulgarem, panicula triplo longiore, culmo usque ad apicem vaginis tecto a praecedente distinguendam, forsan e nostra regione non exulem, nondum observavimus.

136. **F. ovina.** L. RS. 5. W. 3.

F. tenuifolia. *Schrader.* P. 6.

♃. 5, 6. In pascuis siccis vulgaris. — Variat flosculis muticis et aristatis, glabris et villosis, gra-

men hucusque multis dubiis, nunc vix solutis, obrutum.

137. F. duriuscula. L. (*sp. pl.*) P. 10. W. 9.

F. intermedia. R. et S. RS. 8.

♃. 5—7. In pratis et pascuis siccis ubique. —

138. F. rubra. L. RS. 31. P. 9. W. 4.

♃. 6—8. In pascuis et sylvaticis vulgaris. — Distinguitur a præcedente radice repente.

139. F. heterophylla. *Hænke.* RS. 30. P. 16. W. 8.

♃. 7, 8. In umbrosis non frequens: prope *Darup! Havixbeck! Notteln!* — Radix fibrosa, densum cæspitem nutriens, folia radicalia filiformia, diffusa, culmea plana, linearia, longissima. Hisce notis a præcedentis varietate umbrosa, foliis radicalibus longissimis insignita, potissimum discernenda.

140. F. arundinacea. *Schreber.*

Schedonorus elatior. *P. Beauv.* RS. 341, 3.

Bromus littoreus. *Weigel.* P. 172, 21. W. 140, 14.

♃. 6, 7. In pratis, siccis non minus ac humidis, ad fl. *Lippe* prope *Dorsten!* ad fl. *Emse* prope *Rheine!* fl. *Werse* prope *Handorf!* — A sequente, cui similis, statura robustiore, majore, foliis maximis, pungentibus dignoscenda.

141. F. pratensis. *Hudson.*

Schedonorus pratensis. R et S. RS. 341, 1.

F. elatior. L. (*fl. suec.*) P. 30. W. 19.

♃. 6—8. In pratis præcipue humidis ubique.

142. F. loliacea. *Curtis.* P. 1. W. 21.

Schedonorus loliaceus. *P. Beauv.* RS. 341, 12.

♃. 5—7. In pratis humidiusculis passim rarior: *Billerbeck!* — Facies Lolii aut speciminis minoris Glyzeriæ fluitantis; a quibus præter alias notas discernitur spiculis inferioribus subpedunculatis uniglumis, superioribus sessilibus, cum rudimento glumae interioris. Diversa videtur a F. loliacea autorum citatorum.

143. F. gigantea. *Villars.* P. 34.

Bromus giganteus. L. RS. 325, 31. W. 140, 20.

♃. 6—8. In umbrosis humidis vulgaris. — Folia vaginæque læves.

144. F. aspera. *Mert. et Koch.*

Bromus asper. L. RS. 325, 27. P. 172, 18. W. 140, 13.

♃. 6, 7. In umbrosis sylvaticis rarior: *Stromberg! Wadersloh! Ravensberg*, — Folia vaginæque pilosæ.

145. F. inermis. *Decandolle.*

Schedonorus inermis. R et S. RS. 341, 8.

Bromus inermis. L. P. 172, 17. W. 140, 12.

♃. 6, 7. In pascuis rarior: *Münster im Schlossgarten!* copiose ad ripas *Rheni!* — Valvulas ad ripas *Rheni* semper omnino muticas, prope *Münster* vero non alias quam aristatas vidimus.

48. TRIODIA. *R. Brown.* RS. 305.

146. T. decumbens. *P. Beauv.* RS. 1.

Festuca decumbens. L. P. 171, 28. W. 139, 17.

♃. 6, 7. In ericetis, pascuis sterilibus, præcipue solo arenoso vulgaris. — Panicula subsimplex, pauciflora; spiculæ ratione plantae magnae.

49. BROMUS. L. RS. 325. P. 172. W. 140.

147. B. secalinus. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

☉. 6, 7. Inter segetes hyemales, praesertim in agris humidis, nimis frequens.

148. B. racemosus. L. RS. 9. P. 5. W. 24.

♂. ☉. 5, 6. In pratis, arvis, ad vias vulgaris. — Spiculae glabrae.

149. B. mollis. L. RS. 7. P. 3. W. 3.

♂. 5, 6. In pratis, pascuis, viis ubique. — Spiculae pubescentes, tactu mollissimae. Haec, aeque ac prior, locis sterilibus pumila, spicula unica vel altera tantum instructa occurrit.

150. B. arvensis. L. RS. 37. P. 23. W. 17.

☉. 7, 8. Inter segetes haud frequens: *Rheine*, M.; *Stromberg*! *Oelde*! *Wadersloh*! — Panicula patente, spiculis anguste lanceolatis variegatis, vaginis foliisque pilosis.

151. B. sterilis. L. RS. 40. P. 24. W. 16.

☉. 6—9. Ad vias, sepes, in pomariis vulgaris. — Aristae glumas suas superantes; culmi glabri.

152. B. tectorum. L. RS. 41. P. 25. W. 19.

☉. 5, 6. In arenosis siccis: *Dülmen*, N.! *Darup*! *Warendorf*! copiose ad ripas *Rheni*! — Differt a praecedente panicula minus diffusa, subsecunda, nutante, aristis valvulas subaequantibus, caule superne pubescente.

### 50. BRACHYPODIUM. *P. Beauv.* RS. 345.

153. B. sylvaticum. R et S. RS. 10.

Bromus gracilis. *Weigel.* P. 172, 30. W. 140, 29.

♃. 6, 7. Ubique fere in sylvis et dumetis, ab amicis plurimis sub nomine sequentis nobis indicatum, a

quo differt spica nutante, aristis longioribus, foliis flaccidis, atque radice fibrosa. In argillosis et calcareis spicularum pubem plerumque adpressam, in sabulosis aut turfosis vero patentem observavimus.

154. B. pinnatum. R et S. RS. 1.

B. pinnatus. L. P. 172, 31. W. 140, 30.

♃. 6, 7. In pascuis elatioribus præcipue calcareis: prope *Beckum* et *Stromberg* non infrequens! — Variat spiculis glabris et villosis. Spica plerumque erecta, aristæ breves, foliarigida, radix repens.

51. TRITICUM. L. RS. 348. P. 198. W. 152.

155. T. vulgare. *Villars.*

*α. aestivum.* L. RS. 1. P. 1*α.* W. 1.

*β. hybernum.* L. RS. 2. P. 1*β.* W. 2.

☉. et ♂. 6. Colitur ubique. — Posterior variat spiculis aristatis et muticis, glabris et pubescentibus. In priore neque pubescentiam neque defectum omnium aristarum unquam apud nos observare nobis contigit.

Obs. Triticum Spelta, durum, dicoccum et monococcum, quantum scimus, intra fines nostros non coluntur.

156. T. repens. L. P. 8. W. 13.

Agropyrum repens. *P. Beauv.* RS. 347, 10.

♃. 6 — 8. In agris, arvis, sepibus, solo præcipue arenoso vitium nimis frequens. — Præter varietates muticas et aristatas præcipue memorabiles videntur hoc loco:

*α. subulatum*, *Schreber*, foliis rigidis glaucis pungentibus divergentibus, flosculis obtusis muticis; copiose in pascuis sterilibus ad *Rhenum.*

*β. Leersianum*, *Schreber*, caule humili, foliis elongatis, flosculis longius aristatis; ibidem rarius.

157. T. caninum. *Schreber*. P. 9.

Elymus caninus. L. W. 149, 7. Agropyrum caninum. *P. Beauv.* RS. 347, 12.

♃. 6, 7. In dumetis, sylvis umbrosis passim rarius. — Præcedenti valde simile, differt vero abunde radice fibrosa, nunquam repente, foliis utrinque scabris, spica demum nutante, aristis longioribus flexuosis. Occurrit, monente amic. D. Weihe, in montosis tota glauca et humilior, in nemoribus et dumetis altissima, ad ripas fluviorum vegetissima.

52. SECALE. L. RS. 350. P. 197. W. 150.

158. S. cereale. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♂. ⊙. 6. Ubique colitur. — Nullum hybernum inter et vernum discrimen. Variat rarius spicis digitatis, aut uredine combustis, aristis tortis, frequentius vero spiculis proliferis.

53. LOLIUM. L. RS. 346. P. 199. W. 147.

159. L. perenne. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

*β. L. tenue.* L. P. 2. W. 2.

*γ. L. ramosum.* *Leers.* P. 1γ.

*δ. L. cristatum.* *Pers.* P. 1β.

♃. 6—8. In pascuis, viis et ambarvalibus ubique, β solo argilloso ad versuras; γ et δ in humidis humosis rarius. — Varietas β cultura perstitit Gmelino; saltem satis constans, quae et a nobis in solum pinguiorem transferta indolem suam non mutavit. Varietas δ habitu omnino recedit a caeteris, spiculis con-

fertis patentibus, glumis calycinis nullis, spica abbreviata, subovata; hanc vero cum vulgari ex una eademque radice provenientem observavimus.

160. **L. arvense.** *Withering.* RS. 3.

L. multiflorum, β arvense. *Pers.* P. 4β.

☉. 6, 7. Inter segetes æstivales, præcipue inter Linum frequens. — Habitu intermedium inter L. perenne et temulentum, ab illo calycibus spiculas subæquantibus, ab hoc flosculis muticis diversum.

161. **L. temulentum.** L. RS. 5. P. 3. W. 3.

☉. 7, 8. Inter segetes æstivales, gramen noxium, annis pluviis nimis frequens.

54. HORDEUM. L. RS. 361. P. 196. W. 151.

162. **H. vulgare.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

☉. 6, 7. Colitur praecipue in agris arenosis. — Semina sexfariam imbricata, seriebus utrinque binis prominentibus. Ante brumas satam nunquam vidimus hanc speciem.

163. **H. hexastichon.** L. RS. 3. P. 2. W. 2.

♂. et ☉. 6, 7. Colitur praecipue in agris lutosis et argillosis. — Semina aequaliter sexfariam imbricata.

164. **H. distichon.** L. RS. 7. P. 3. W. 3.

☉. 6, 7. Colitur in argillosis aut lutosis; in agris arenosis hoc aeque ac prius non vigent. — Semina utrinque unifariam imbricata, aristis adpressis.

165. **H. Zeocriton.** L. RS. 8. P. 4. W. 4.

☉. 6, 7. Rarius colitur. — Differt a praecedente seminibus arctius imbricatis, aristis patentibus.

166. **H. murinum.** L. RS. 9. P. 7. W. 7.

☉. 6—8. In ruderatis, ad vias, muros ubique.

167. **H. nodosum.** L.

H. pratense. *Hudson.* RS. 11. P. 8. H. secalinum. *Schreber.* P. 9. W. 8.

♃. 6, 7. In pratis et pascuis rarissime: prope *Rheine*, M. — Distinguitur a priore culmis altioribus, non ultra dimidium vaginatis, foliis utrinque scabriusculis, spica graciliore, glumis scabris, nec ciliatis.

## T R I G Y N I A.

### 55. HOLOSTEUM. L. RS. 391. P. 205. W. 157.

168. **H. umbellatum.** L. RS. 5. P. 5. W. 5.

☉. 3—5. In cultis, agris et arvis sabulosis: prope *Coesfeld! Münster!* alibique. — Occurrit tota glabra, foliis tantum subciliatis, nec non internodiis caulinis ad $1/3$ pilis glandulosis dense obsitis.

### 56. TILLAEA. L. RS. 606. P. 346. W. 272.

169. **T. muscosa.** L. RS. 3. P. 9. W. 8.

☉. 5, 6. In pascuis et viis siccis sabulosis: *Coesfeld hinter der Klinke vor Hollenbergs Hofe!* rarissima, nunc primum inter Germaniae cives enumerata. — Herba exigua, succulenta, glabra, rubens; folia perfoliata, opposita, obtusa, gibba; stamina tria; petala tria persistentia; capsulae tres, dispermae, medio contractae. Facies fere Illecebri verticillati in loco sterilissimo enati.

CLASSIS IV.

# T E T R A N D R I A.

## M O N O G Y N I A.

---

57. DIPSACUS. L. RS. 405. P. 225. W. 171.

170. **D. sylvestris.** *Miller.* RS. 2. P. 2. W. 2.

♂. 7, 8. In arvis requietis, pascuis, ad sepes, solo præsertim argilloso vulgaris. — Paleæ rectæ.

171. **D. Fullonum.** *Miller.* RS. 1. P. 1. W. 1.

♂. 7, 8. Colitur prope *Haltern* in usum fullonum, ubi et interdum quasi spontaneus occurrit. — Paleæ uncinatæ.

172. **D. pilosus.** L. RS. 5. P. 4. W. 4.

☉. 6—8. In dumetis, ad fossas passim: *Darup! Coesfeld! Münster!* alibique, haud adeo rarus. — Praecedentibus minor; folia petiolata; flores flavescentes in capitulum globosum digesti.

58. SCABIOSA. L. RS. 408. P, 226. W. 172.

173. **S. arvensis.** L. P. 18. W. 15.

Trichera arvensis. *Schrader.* RS. 407, 1.

*α. heterophylla*, vulgatior, elatior, hirsutior, floribus minoribus.

*β. homoiophylla*, rarior, foliis omnibus conformibus pinnatifidis, caule humiliore, floribus majoribus, eleganter radiantibus.

♃. 5—9. In arvis et pascuis ubique; β in sylvaticis elatioribus et pascuis humidis. — Variat insuper, ast rarius, floribus saturatioribus et pallidioribus.

174. **S. sylvatica.** L. P. 20. W. 17.

Trichera sylvatica. *Schrader.* RS. 407, 3.

♃. 7, 8. In sylvaticis montosis ad pagum *Wechte* prope *Tecklenburg*, B. — Differt a præcedente præcipue foliis omnibus indivisis, glabris, læte viridibus, caule superne molliter pubescente aut glabro, nunquam, ut in illa, scabro.

175. **S. succisa.** L. RS. 3. P. 12. W. 9.

♃. 7—9. In pascuis, pratis et sylvaticis ubique. — Florum glomeruli hæmisphaerici, demum globosi.

176. **S. Columbaria.** L. RS. 13. P. 25. W. 19.

♃. 6—9. In pascuis siccis passim frequens. — Folia caulina tenuiter dissecta.

59. SHERARDIA. L. RS. 484. P. 234. W. 178.

177. **S. arvensis.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

⊙. 6—9. In agris, præcipue argillosis, abundanter. — Flos lilacinus; fructus dentibus sex coronatus.

60. ASPERULA. L. RS. 483. P. 235. W. 179.

178. **A. odorata.** L. RS. 2. P. 1. W. 1.

♃. 5, 6. In sylvis umbrosis, præsertim faginetis, vulgaris. — Flores albi, odorati, sicuti et herba exsiccata.

179. **A. cynanchica.** L. RS. 17. P. 11. W. 10.

♃. 7, 8. In pascuis et sylvaticis siccis calcareis rarior: *Stromberg! Beckum!* — Folia angusta, linearia, plerumque quaterna; flores carnei.

61. GALIUM. L. RS. 481. P. 241. W. 185.

180. G. Cruciata. *Scopoli.* RS. 10.

Valantia Cruciata. L. P. 242, I. W. 1874, II.

♃. 5—7. In dumetis: *Dülmen prope Osthoff,* N.! *Darup! Münster!* alibique haud frequens. — Folia flavo-virescentia, hirsuta, quaterna; fructus glabri, rugosi, sub folia deflexi.

181. G. Aparine. L. RS. 118. P. 64. W. 43.

☉. 6—9. In dumetis, ad sepes, nec non inter segetes ubique vulgare. — Caules alte scandentes, foliaque sena vel octona retrorsum aculeolato-scaberrimi; fructis setis uncinatis hispidus.

182. G. agreste. *Wallroth.*

G. infestum. *Waldst. et Kit.* RS. 120.

*α. leiospermum. Wallr.* fructibus glabris.

*β. echinospermum. Wallr.* fructibus setis uncinatis hispidis.

☉. 6—9. In agris, *α* copiose prope *Dorsten!* nec alibi vidimus; *β* in argillosis non rarum: *Darup! Coesfeld! Billerbeck! Neuenberge!* — Præcedenti simillimum, differt vero statura minori, foliis angustioribus, sæpius senis, fructibus minoribus, vel glabris, vel setis duplo brevioribus obsitis.

183. G. uliginosum. L. RS. 87. P. 28. W. 36.

♃. 5—7. In pratis uliginosis: *Rheine,* M.; *Dülmen im Merfelder Bruch,* N.!; *Coesfeld versus pagum Stevede!; Bentheim!* — Folia sena, caulesque retrorsum scabri, fructus exiguus, granulatus.

184. G. palustre. L. RS. 6. P. 4. W. 2.

♃. 5—7. In palustribus et fossis ubique. — Folia

quaterna inæqualia, caulesque retrorsum scabriusculi; fructus glaberrimus.

185. G. Mollugo. L. RS. 58. P. 39. W. 23.

♃. 5—7. In dumetis et sylvaticis vulgare. — In nostratibus caules semper glabri, angulis obtusis prominentibus; fructus glabri rugulosi; folia plerumque octona.

186. G. verum. L. RS. 56. P. 38. W. 22.

♃. 6—8. In pascuis siccis apricis, ad vias frequens. — Folia 8 — 10na angusta subtus caulesque pubescentes; flores flavi, interdum ochroleuci (G. verosimile R. et S.); fructus lævis.

187. G. sylvaticum. L. RS. 63. P. 42. W. 24.

♃. 7, 8. In sylvaticis umbrosis: *Rheine*, M.; *Havixbeck! Stromberg!* — Tota glabra atque glaucescens; caulis teres; folia octona; fructus glabri, rugulosi.

188. G. sylvestre. *Pollich.*

α. *G. austriacum. Jacq.* RS. 38. P. 31. W. 12.

β. *G. Bocconi. Allion.* RS. 42. W. 13.

G. scabrum. *Suter.* P. 33.

♃. 6, 7. In pascuis et sylvaticis elatioribus calcareis: *Stromberg! Beckum!* — Planta synonymis nimis vexata. Caules prostrati aut adscendentes, basi in β pubescentes, ceterum glabri; folia angusta, subaristata, octona, inferiora obovato lanceolata; fructus glaber, per lentem parce granulatus.

189. G. hercynium. *Weigel.*

G. saxatile. *Smith.* RS. 101. P. 29. W. 15.

♃. 7, 8. In sylvaticis, ericetis, præcipue sabuloso-turfosis, vulgare. — Statura minore, foliis senis mu-

cronatis, inferioribus obovatis obtusis, fructibus tuberculis acutiusculis exasperatis, caulibusque depressis a priore satis diversum.

62. EXACUM. L. RS. 437. P. 282. W. 221.

190. E. filiforme. *Willd.* RS. 7. P. 12. W. 12.

⨀. 7, 8. In pascuis ericetosis humidis, locis hyeme inundatis ubique. — Flos flavus non nisi sudo expansus.

63. PLANTAGO. L. RS. 434. P. 286. W. 222.

191. P. major. L. RS. 1. P. 6. W. 1.

β. *P. minima. Decand.* RS. 4.

γ. *rosea*, spica brevi, bracteis elongatis luxuriantibus.

♃. 6—9. In cultis et incultis ubique; β in pascuis sterilioribus, tam siccis quam humidis uberrime; γ ad vias tritas rara. — In varietate β folia semper fere trinervia, pilis articulatis sparsis obsita; scapus pilis adpressis, sæpe adscendens vel declinatus; spica pauciflora; capsula 5 — aut 6sperma. Observantur autem formæ intermediæ, quæ separationem specificam vetunt.

192. P. media. L. RS. 14. P. 8. W. 5.

♃. 5, 6. In pascuis siccis, versuris, viis, solo arenoso et lutoso vulgaris. — Folia brevissime petiolata, utrinque hirsuta, in orbem disposita, terræ adpressa.

193. P. lanceolata. L. RS. 15. P. 17. W. 8.

β. *lanuginosa*, foliis molliter lanuginosis.

γ. *polystachia*, spica composita.

♃. 4—9. Locis cultis et incultis ubique; β in pascuis et arvis siccis; γ ad vias solo pinguiori. — Folia lanceo-

lata, utrinque angustata, glabra, in $\beta$ lanuginosa; spica abbreviata, in $\beta$ sæpe subglobosa, in $\gamma$ basi ramosa.

194. **P. Coronopus.** L. RS. 87. P. 46. W. 24.

♃. 7, 8. In pascuis siccis: *Rheine*, W. — Folia pinnatisecta; spica elongata.

### 64. CENTUNCULUS. L. RS. 433. P. 287. W. 224.

195. **C. minimus.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

☉. 6—8. In pascuis sabulosis et lutosis hyeme inundatis, nec non in arvis et agris post messem, passim frequens. — Caulis pollicaris, raro ultra, a basi ramosus; folia alterna; flores carnei; capsula circumscissa.

### 65. SANGUISORBA. L. RS. 476. P. 291. W. 225.

196. **S. officinalis.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. In pratis et pascuis humidis, præcipue montosis, hinc inde, ast rarior. — Sæpe a tironibus cum Poterio Sanguisorba confusam vidimus, planta quadruplo minore, non nisi in calcareis siccis degente.

### 66. CORNUS. L. RS. 513. P. 296. W. 228.

197. **C. mascula.** L. RS. 4. P. 4. W. 4.

♄. 3, 4. Ad sepes, in dumetis passim: *Dülmen in Brockmanns Stiege*, N.! *Albachten! Coesfeld! Münster bei Lütjenbeck* copiose! — Flores ante folia erumpentes, flavi; bacca saturate rubra.

198. **C. sanguinea.** L. RS. 6. P. 5. W. 6.

♄. 6, 7. In sylvaticis et dumetis, praesertim solo argilloso et lutoso vulgaris. — Flores cymosi, albi; baccae nigrae.

67. MAJANTHEMUM. *Wiggers.*

199. **M. bifolium.** *Decandolle.*

Convallaria bifolia. L. P. 817, 12. W. 649, 11.

♃. 5, 6. In umbrosis humidis, praecipue turfosis, ubique. — Folia duo rarius tria, cordata.

68. ISNARDIA. L. RS. 581. P. 309. W. 242.

200. **I. palustris.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

*α. rivularis*, suberecta, omnibus partibus major.

*β. riparia*, prostrata, radicans, multo minor.

☉. 7, 8. In turfosis, *α* in ipsa aqua, saepius tota submersa, *β* in exsiccatis. — Planta glabra, plerumque rubens; *α* saepe ultrapedalis, erecta, fluitans, ut plurimum sterilis; *β* multo minor, digitalis, prostrata, e geniculis radicans, semper fertilis.

69. PARIETARIA. L. RS. 573. P. 2058. W. 1875.

201. **P. erecta.** *Mertens et Koch.*

P. officinalis. *autor.* (non L?) RS. 2. P. 2. W. 2.

♃. 6—8. Ad muros, in ruderatis raro: *Coesfeld* ad pontem *hinter dem Judenkirchhofe! Bentheim* ad saxa et mœnia castelli!

202. **P. diffusa.** *Mertens et Koch.*

P. judaica. *autor.* (non L?) RS. 5. P. 4. W. 4.

♃. 6—9. In muris et ruderatis: *Dülmen!* N.! copiosior in *Dorsten! Rees! Emmerich! Wesel!* — Differt a praecedente caule ramosissimo diffuso, foliis, florum glomerulis floribusque minoribus.

70. ALCHEMILLA. L. RS. 574. P. 328. W. 258.

203. **A. vulgaris.** L. RS. 2. P. 2. W. 2.

α. *pratensis*, major, glabra.

β. *sylvatica*, minor, undique pilis patentibus hirsuta.

♃. 4—7. α in pratis et pascuis humidiusculis; β in pascuis et sylvaticis siccioribus vulgaris. — Transitus in alterum ubique observari potest.

204. A. arvensis. *Scopoli.*

A. Aphanes. *Leers.* RS. 9. W. 6.

Aphanes arvensis. L. P. 329, 1.

☉. 6—8. Stirps exigua, diffusa, in agris et arvis ubique vulgatissima.

## TETRAGYNIA.

71. ILEX. L. RS. 598. P. 339. W. 267.

205. I. aquifolium. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♄. 5, 6. In sylvaticis ubique fere copiosissime. — Plerumque frutex, interdum arbor 20—30pedalis, varians foliis margine spinosis atque inermibus; in omni statu flores fructusque gerit. Non igitur huic stirpi indoles Hederae tribuenda, sterilis, dum in terra repit, foliis lobatis, floriferae, dum arbores murosve scandit, foliis indivisis.

72. POTAMOGETON. L. RS. 609. P. 341. W. 269.

206. P. natans. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

α. *P. fluitans. Roth.* RS. 4. P. 2. W. 2.

β. *intermedius. Mertens et Koch.*

δ. *P. parnassifolius. Schrader.*

♃. 6—8. In aquosis et palustribus ubique, α in piscinis et stagnantibus; β in rivulis et fluviis; γ in fos-

sis turfosis subexsiccatis; $\delta$ in paludibus turfosis profundioribus rarior. *Dülmen prope Entekoi! Bentheim in der Brechte!* — Varietas $\gamma$ gaudet caule erectiusculo, abbreviato, foliis inferioribus lanceolatis diaphanis, $\delta$ foliis natantibus longius petiolatis, vix pollicaribus.

207. **P. rufescens.** *Schrader.* RS. 18.

♃. 7, 8. In fossis, piscinis, praecipue solo argilloso: *Coesfeld! Darup! Wadersloh!* atque pluribus proculdubio locis. — Folia immersa lanceolata, diaphana, emersa coriacea, ovata, brevius petiolata, exsiccatione rufescentia.

208. **P. heterophyllus.** *Schreber.* RS. 9. P. 3. W. 3.

♃. 6—8. In stagnantibus: *Lengerich*, B.; *Warendorf! Oelde! Mastholte! Münster!* — Praecedente quadruplo minor; folia submersa lanceolata, incurva, diaphana; emersa natantia, ovata, coriacea; pedunculi incrassati. Planta caeterum nimis variabilis, in aquis profundioribus saepe foliis natantibus orbata, in exsiccatis vero, P. natantis $\gamma$ ad instar, foliis omnibus subcoriaceis elongatis praedita.

209. **P. lucens.** L. RS. 16. P. 6. W. 6.

♃. 6—8. In aquis tam stagnantibus quam fluentibus vulgaris. — Folia omnia submersa, diaphana, oblongo-lanceolata, petiolata; pedunculi apice incrassati. In aquis fluentibus, more congenerum nonnullorum, omnes partes magis protractae evadunt.

210. **P. perfoliatus.** L. RS. 12. P. 4. W. 4.

♃. 6—8. In fluviis ubique vulgaris, rarius apud nos in stagnantibus. — Folia omnia submersa, diaphana, basi cordata caulem amplectentia, pedunculi aequales.

211. **P. crispus.** L. RS. 21. P. 7. W. 7.

♃. 6—8. Ubique fere in fossis et fluviis. — Folia omnia submersa, diaphana, lineari-lanceolata, margine serrulato, undulato; pedunculi æquales; fructus rostratus.

212. **P. zosteræfolius.** *Schumacher.* RS. 25. P. 11.

♃. 7, 8. In fossis, piscinis profundis, solo argillaceo: *Coesfeld hinter dem Brink! Darup am Höveler Felde! Nienberge!*; in aquis fluentibus numquam eum reperimus. — Folia omnia submersa, longa, exacte linearia, obtusa, fere 2 lineas lata; caulis ramosissimus, compresso-alatus, superne præcipue latitudine et colore foliorum; pedunculi crassiusculi, 10—12-flori.

213. **P. obtusifolius.** *Mertens et Koch.*

♃. 6—8. In piscinis et fossis profundis, solo turfoso-arenoso rarior: *Bentheim! Epe!* atque procul dubio aliis locis vicinis. — Praecedenti magnitudine et habitu valde similis, differt vero: foliis apice rotundatis; caule compresso, lateribus rotundatis, nec alatis; pedunculis brevioribus, 6—8 floris; fructibus carinatis.

214. **P. compressus.** L. RS. 24. P. 9. W. 9.

♃. 7, 8. In fossis, præcipue argillosis, passim frequens. — Magnitudine intermedius inter præcedentem et sequentem. Folia omnia submersa, linearia, 5nervia; pedunculi spica interrupta triplo longiores; caulis compressus, non alatus.

215. **P. pusillus.** L. RS. 34. P. 13. W. 14.

*β. tenuissimus. Mertens et Koch.*

♃. 6—8. In fossis et piscinis: frequens prope *Darup! Coesfeld bei der Harler Schule!* alibique; β

prope *Wiedenbrük an der Chaussee nach Lippstadt!* — Omnium minimus; folia submersa, diaphana, linearia, acuminata; pedunculi 2—4flori; caules plures ramosissimi. Varietas *β* distinguitur foliis tenuissimis, fere setaceis.

216. P. pectinatus. L. RS. 28. P. 14. W. 10.

♃. 6—8. In aquis stagnantibus et fluentibus: copiose in fluviis *Berkel!* et *Lippe!* — Caules teretes, in aqua fluente sæpe 10—15pedales; folia omnia submersa, fere filiformia, longissima; pedunculi elongati; spicae interruptæ.

217. P. densus. L. RS. 15. P. 5. W. 5.

*α. latifolius*, atro-virens, dense foliosus, foliis fere imbricatis, atroviridibus, sequentibus robustior.

*β. lancifolius*, (P. serratus L. *nec autor.*) foliis remotioribus, apice acutis, læte viridibus, magis diaphanis.

*γ. angustifolius*, pallide virens, foliis angustis, acuminatis, subdivergenti-reflexis, 1/2 pollicaribus.

♃. 6—8. Ubique fere in fossis et rivulis: *α* prope *Coesfeld vor dem Letter Thore! γ* in fossis argilloso-calcareis. — Folia submersa, opposita, amplexicaulia; pedunculi e caulis dichotomia, demum reflexi, 2—6-flori.

## 73. SAGINA. L. RS. 604. P. 343. W. 271.

218. S. procumbens. L. RS. 2. P. 2. W. 2.

*α. præcox*, *Nobis*, multiflora, foliis binis aut quaternis, oppositis, brevioribus.

*β. serotina*, *Nobis*, pauciflora, foliis fasciculatis, longioribus.

☉. 5—10. In agris, arvis et pascuis vulgaris; β in arvis lutosis, ad scaturigines, muros. — Ramosissima, depressa, diffusa.

219. S. apetala. L. RS. 3. P. 3. W. 3.

β. *S. depressa.* *Schulz.*

☉. 5—7. In agris, inter segetes, solo lutoso: *Rheine,* M.; *Rees! Emmerich! Cappenberg!* — Praecedente tenuior; caules erectiusculi; folia fere setacea, basi ciliata; petala minutissima, nudis oculis vix conspicua; semina linea nigra notata. Var. β, prope *Rees!* cum priore non rara, differt caulibus magis diffusis, calycibus obtusioribus, capsula parum longiore, foliis basi non ciliatis; hanc vero specie non distinguendam putamus.

74. RADIOLA. *Dillenius.* RS. 610. P. 345.

220. R. Millegrana. *Smith.* P. 1.

R. linoides. *Roth.* RS. 1. Linum Radiola. L. W. 590, 27.

☉. 6, 8. In arvis, pascuis, praecipue humidiusculis, ubique copiose. — Planta 1—2pollicaris, ramosissima, ramis subfastigiatis, foliis oppositis.

---

## CLASSIS V.

# PENTANDRIA.

## MONOGYNIA.

---

75. ECHIUM. L. RS. 624. P. 363. W. 286.

221. E. vulgare. L. RS. 48. P. 24. W. 21.

♂. 6—9. In agris et arvis sterilibus, nec non in muris et ruderatis copiose. — In hac, uti in pluribus e familia Asperifoliarum plantis flores erumpentes rosei aut carnei, demum cærulei, sæpius violacei evadunt.

76. LITHOSPERMUM. L. RS. 626. P. 351. W. 276.

222. L. officinale. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 5—7. In arvis, agrorum versuris, pascuis siccis, præsertim ubi calx subest, vulgare. — Semina alba, nitida.

223. L. arvense. L. RS. 5. P. 5. W. 2.

☉. 4—7. Inter segetes solo argilloso, vitium interdum nimis frequens. —Semina atro-fusca, rugosa.

224. L. purpureo-cœruleum. L. RS. 17. P. 15. W. 10.

♃. 5, 6. In umbrosis calcareis prope *Stromberg* occurrere dicitur, dubia civis, nobis non visa; haud longe extra fines prope *Paderborn* invenit cl. *Præses à Schlechtendal.* — Flores cærulei, demum violacei; semina alba, nitida.

### 77. PULMONARIA. L. RS. 629. P. 355. W. 279.

225. **P. officinalis.** L. RS. 3. P. 2. W. 2.

*β. stricta.* *Nobis.*

♃. 3—5. In umbrosis, dumetis, solo argilloso aut lutoso frequens; *β* prope *Darup*! — Folia caulina ovata patentia, in *β* vero lineari-lanceolata, obtusiuscula, stricta; radicalia in utraque subcordata, plus minusve maculata. Posterior ambigit inter hanc et sequentem.

226. **P. angustifolia.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 4, 5. In sylvaticis montosis, ad margines sylvarum rarior: *Lengerich*, B. — Differt a priori statura plerumque minore, foliis caulinis lanceolatis acutis, radicalibus lanceolatis, basi attenuatis. Caveat tiro, ne hanc cum præcedentis varietate *β* confundat.

### 78. SYMPHYTUM. L. RS. 634. P. 356. W. 280.

227. **S. officinale.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

*β. S. patens*, *Sibthorp*, flore purpurascente.

♃. 5, 6. In humidis, ad ripas fere ubique. — Præter floris colorem inter *α* et *β* nullam invenimus differentiam; utraque frequens, sæpe eodem in loco occurrit.

### 79. BORAGO. L. RS. 635. P. 360. W. 283.

228. **B. officinalis.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

⊙. 5—9. Ex *Aleppo*, uti ajunt, olim advecta, nunc sponte in cultis, ruderatis et muris satis frequens: *Coesfeld*! *Münster*! *Dorsten*! — Flores læte cœrulei; sapor herbæ Cucumeris sativi.

## 80. CYNOGLOSSUM. L. RS. 639. P. 354. W. 278.

229. C. officinale. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♂. (♃?). 5, 6. In pascuis siccis passim: *Darup*! *Coesfeld*! *Dülmen*, N.!; *Münster*! alibique. — Flores fusco-purpurei; herba trita mures redolet.

## 81. ANCHUSA. L. RS. 643. P. 353. W. 277.

230. A. arvensis. *Bieberstein.*

Lycopsis arvensis. L. RS. 638, 1. P. 362, 7. W. 285, 6.

*β. stricta. Nobis.*

☉. 6—9. Ubique in agris. — Folia lato-lanceolata, basi cordata, patentia, in β lineari-lanceolata, basi angustata, stricta; caulis ramosus, in β plerumque simplex, nec tamen semper minor; flores in utraque læte cyanei, umbilico niveo. Varietas posterior ulterius investiganda videtur.

231. A. officinalis. L. RS. 5. P. 3. W. 3.

♃. 5—9. In pratis et pascuis siccis: ad ripas fl. *Lippe*! rarior; frequens ad *Rhenum*! — Flores cœrulescentes, atro-purpureos, violaceos et carneos, nunquam vero albos vidisse recordamur.

## 82. MYOSOTIS. L. RS. 644. P. 349. W. 275.

232. M. palustris. *Withering.*

M. scorpioides. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

*β. gracilis. Nobis.* caule elongato gracili, foliis floribusque duplo triplove minoribus.

♃. 6—9. Locis humidis, ad ripas, fossas ubique. — A congeneribus potissimum discernitur: calyce brevi, quinquedentato, nec partito, dentibus ovatis, pedunculum subæquante; corollæ lobis patentibus emar-

ginatis. Caeterum plantae pilositas admodum variabilis, ut interdum tota fere glabra, nunc basi patentim superne adpresso pilosa, nunc vero undique fere hirsuta occurrat. Non minus indoles ejus polymorpha observatur in corolla, plerumque speciosa atque eleganter cyanea, interdum vero etiam rosea aut albida, minor.

233. M. repens. *Reichenbach.*

♃. 7—9. In palustribus turfosis: prope *Rheine*, M. — Caulis adscendens, basi longe radicans; folia utrinque attenuata; calycis laciniae inaequales, acutae, tubum corollae aequantes; semina nitida, nigra.

234. M. cæspitosa. *Schultz.*

*β. strigulosa. Reichenbach.*

☉. 5—9. In humidis, praecipue limosis aut turfosis, frequens. — Undique pilis strigosis obsita; calyces longius pedunculati elongati, 5partiti, laciniis lanceolatis; stylus abbreviatus; corolla minor lobis integris; caeterum M. palustri similis. Hanc quoque vidimus corollis pallidis et sordide roseis, solito minoribus. M. strigulosam *Reich.*, corolla saepe majore, lobis vix emarginatis, caule tenace, basi livido, specie ab hac separare non possumus.

235. M. sylvatica. *Ehrhart.* RS. 3. P. 2β.

*β. lactea. Nobis.*

*γ. carnea. Nobis.*

♃. 4, 5. In nemorosis et sylvaticis calcareis; *Rheine*, M.; *Coesfeld am Berge* et *in der Knipe!* ubi quoque varietas β abundat. — A. M. palustri, cui corollis speciosis similis, facile discernitur: tempore florendi, loco natali, calycibus profunde quinquepartitis, laciniis inaequalibus, acutis, foliisque radicali-

bus maximis, quae in icone cel. Reichenbach desiderantur. Variat floribus albidis, ut in aliis congeneribus, solito paulo minoribus. Quam vero nomine β lacteae huic seu varietatem subscripsimus, haec ulteriorem, ni fallimur, examinationem meretur, distincta caulibus magis diffusis, pilosioribus, racemis abbreviatis, corollis certe non minoribus, elegantissime lacteis, atque seminibus duplo fere majoribus. Var. γ differt tantum floribus minoribus carneis.

236. M. intermedia. *Link.*

β *elatior*, *Nobis.*

♂. et ⊙. 6—8. In cultis, agris, arvis, β in dumetis, praecipue solo argillaceo abundat. — Omnium maxima, praesertim β, saepe bipedalem attingens altitudinem. Caulis patentim hirsutus; pedunculi elongati; calyces fructiferi clausi, pilis uncinatis apice saepius ustulatis obsiti; corolla exigua, limbo concavo.

237. M. arvensis. *Ehrhart. (fid. Herb.)* RS. 8. P. 2. W. 2.

α. *simplex.* (M. stricta. *Link.* RS. 10.)

β. *multicaulis.*

⊙. 5—8. In agris et arvis ubique, rarior in pascuis et sylvaticis. — Caulis in α simplex, in β a basi ramosissimus, semper apud nos basianthus, patentim-, subinde incano-hirsutus; flores brevissime pedunculati; corollae minimae.

238. M. collina. *Reichenbach.* (nec *Ehrh.*)

⊙. 5, 6. In siccis sterilioribus, aggeribus: *Coesfeld auf der Zitadelle!* ibidem *vor dem Letter Thore!* atque pluribus procul dubio locis. — Planta tenera, caule patentim hirsuto, floribus pallide cœruleis, remotis, pedunculis elongatis, demum subreflexis, calycis

basi subglobosi laciniis trinerviis obtusis, foliis oblongo-obovatis. Congenerum nostratum pauciflora est.

239. **M. versicolor.** *Roth.* RS. 12.

M. arvensis $\gamma$ versicolor. *Pers.* P. 2$\gamma$.

☉. 5—7. In agris et arvis, præsertim sabulosis, frequens, nec non in pascuis humidiusculis. — Habitus M. arvensis, a qua vero haud ægre discernitur corollis luteis, post anthesin violaceis, ut semper floribus diversi coloris sit ornata, quorum superiores erecti lutei, cernui vero violacei sunt. Variat caule subsimplici atque a basi inde ramosissimo.

## 83. ECHINOSPERMUM. *Lehmann.*

240. **E. Lappula.** *Lehmann.*

Myosotis Lappula. L. P. 349, 14. W. 275, 8.

Rochelia Lappula. *Röm. et Sch.* RS. 645, 6.

☉. 6, 7. In lapidosis montosis et ruderatis: prope *Bielefeld* haud frequens, A. — Corolla cœrulea Myosotidis; semina aculeis glochidiatis armata.

## 84. ANAGALLIS. L. RS. 652. P. 391. W. 306.

241. **A. arvensis.** L. P. 1. W. 1$\beta$.

A. phœnicea. *Lamarck.* RS. 1.

$\beta$. *A. carnea.* *Nobis.*

☉. 6—9. In cultis, agris, arvis ubique satis frequens. — Petala miniata, apice obtuse serrata, glandulis pedicellatis ciliata. Varietas $\beta$, semel tantum prope *Wesel* lecta, in montosis calcareis *der Eiffel* frequens, non nisi petalis carneis differt, forsan proles hybrida ex hac et sequente.

242. **A. cœrulea.** *Schreber.* RS. 3. P. 2. W. 1$\alpha$.

☉. 6—8. In cultis et arvis passim, ast præcedente multo rarior. — Petala cœrulea, apice repando dentata, eglandulosa; præcedenti nimis affinis videtur.

243. A. tenella. L. RS. 8. P. 10. W. 6.

♃. 7, 8. In pascuis humidis turfosis prope *Dorsten* et *Schermbeck!* detegit am. *Korte* pharmacopola in *Essen*. — „Habitus Lysimachiæ (nemorum) corolla Centunculi, fructus Anagallidis.“ R. et S. Folia opposita, cordato-subrotunda; flores solitarii, longius pedunculati, rosei.

85. LYSIMACHIA. L. RS. 653. P. 389. W. 305.

244. L. vulgaris. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 6—9. In pratis, ad fossas, ripas ubique. — Planta valde variabilis, occurrit in pratis foliis latioribus, obtusiusculis; ad ripas fluviorum foliis angustioribus, acutis; in umbrosis serotina, floribus subsolitariis; nec non monstrosa ex insectorum injuria calycibus foliaceis, tortis, solito triplo longioribus.

245. L. thyrsiflora. L. RS. 7. P. 8. W. 7.

♃. 6, 7. Ad margines fossarum et piscinarum; *Rheine im Kienveen*, M.; *Münster im Kanal*, H.!; *Metelen! Gronau! Bentheim!* — Racemi axillares; flores exigui flavi.

246. L. punctata. L. RS. 14. P. 13. W. 9.

♃. 6, 7. Ad margines fossarum, inter arundines: prope *Notteln an den Mühlenteichen!* semel. — Caulis simplex; folia quaterna, lanceolata, subtus punctata; pedunculi axillares, uniflori; corolla flava punctata.

247. L. nemorum. L. RS. 21. P. 15. W. 12.

♃. 5—8. In nemorosis frondosis, præcipue solo

argillaceo haud adeo rara. — Procumbens; flores axillares, solitarii, flavi.

248. **L. Nummularia.** L. RS. 25. P. 17. W. 14.

♃. 6, 7. In dumetis, pascuis humidis, ad scaturigines ubique abundanter. — Magnitudine valde variabilis; in siccis sæpe rubescit; folia subrotunda; flores flavi.

86. PRIMULA. L. RS. 658. P. 380. W. 293.

249. **P. veris.** L. RS. 5. P. 2. W. 2.

♃. 4, 5. In sylvaticis, pascuis siccis, sequente rarior: *Dülmen*, N.!; *Rheine*, M.; *Lienen*, B., *Coesfeld auf der Zitadelle! Ravensberg! Bielefeld!* — Calyx ventricosus; corollæ limbus concavus, flavus, maculis quinque aurantiacis ad faucem notatus.

250. **P. elatior.** *Jacquin.* RS. 7. P. 3. W. 3.

♃. 3—5. Ad sepes, in sylvaticis et pratis ubique vulgatissima. — Calyx subcylindricus; corollæ limbus planus, sulphureus, absque maculis. Variat foliis ovatis, basi subcordatis, dense villosis; nec non foliis oblongis, basi in petiolum decurrentibus, pilis rarioribus divergentibus hispidiusculis; floribus denique majoribus, limbo patulo, atque minoribus, limbo subcontracto pallidiore. — In hac, æque ac in præcedente, corollæ tubus pro staminum insertione aut medio aut superne dilatatur.

251. **P. acaulis.** *Allion.* RS. 6. P. 4.

P. veris γ acaulis. L. W. 3β.

♃. 3—4. In sylvaticis rarissimam, prope *Coesfeld in Dicks Busche* lectam nobiscum communicavit *ill. Princeps à Salm-Horstmar.* — Pedunculi radicales; corolla ut in præcedente.

87. ERYTHRÆA. *Richard.* RS. 661. P. 633.

252. E. Centaurium. *Rich.* RS. 1. P. 1.
Chironia Centaurium. *Smith.* W. 394, 9.
⊙. 6—8. In arvis, pascuis, versuris, præsertim solo argillaceo et calcareo frequens. — Caulis integer; folia radicalia in orbem disposita; flores corymboso-fasciculati, bracteati.

253. E. compressa. *Hayne.*
⊙. 6—8. In pascuis humidis rarior: *Bentheim! Ochtrup! Wesel!* — Statura intermedia inter præcedentem et sequentem, ab utraque distincta — (an satis?) — caule compresso, inæquilatero, apice deliquescente, foliis margine serrulato-scabris, calycibus scabriusculis, corollæ laciniis acutioribus.

254. E. pulchella. *Fries.* RS. II.
E. ramosissima. *Pers.* P. 5.
⊙. 6—9. In pascuis humidis lutosis et argillosis ubique frequens. — Præcedentibus minor, caule jam a basi deliquescente, ramosissimo, calycibus ebracteatis, floribus fere semper clausis, antheris rotundioribus, foliisque radicalibus nullis, distincta. Occurrit interdum varietas serotina, pumila, minus ramosa, floribus minoribus, albis.

88. HOTTONIA. L. RS. 664. P. 386. W. 301.

255. H. palustris. L. RS. 1. P. 1. W. 1.
♃. 5—7. In fossis et stagnantibus ubique. — Variat flore saturate roseo.

89. MENYANTHES. L. RS. 665. P. 385. W. 299.

256. M. trifoliata. L. RS. 1. P. 5. W. 4.

♃. 5—7. In pratis udis, fossis et palustribus vulgaris. — Folia ternata; flores pulcherrimi, albi, limbo intus villoso.

### 90. VILLARSIA. *Ventenat.* RS. 666.

257. **V. nymphoides.** *Venten.* RS. 1.

Menyanthes nymphoides. L. P. 385, 1. W. 299, 1.

♃. 6—8. In aquis stagnantibus: *Anholt! Rees! Emmerich! Wesel!* locisque vicinis frequens. — Folia Nymphææ, at multo minora; corolla lutea, membrana concolore lacera cincta.

### 91. CONVOLVULUS. L. RS. 690. P. 416. W. 323.

258. **C. arvensis.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 5—7. In agris et arvis, passim vitium nimis frequens. — Insigniter variat floribus atque foliis. Præcipue vero notabilis nobis fuit in vepretis versus *Rhenum* varietas elatior, sequentis ad instar alte scandens, foliis solito multo latioribus, floribus intus omnino albis, extus radiis quinque sordide rubescentibus, quam nimis sero fere defloratam vidimus, atque ulteriori examine dignam putamus.

259. **C. sepium.** L. P. 4. W. 2.

Calystegia sepium. *R. Brown.* RS. 668, 1.

♃. 7, 8. Ad sepes, in dumetis scandens, vulgaris. — Calix bracteis cordatis obtectus; flores speciosi albi.

### 92. NICOTIANA. L. RS. 700. P. 495. W. 379.

260. **N. Tabacum.** L. RS. 5. P. 1. W. 1.

☉. 8, 9. Colitur copiose prope *Emmerich!* — Corolla rosea.

261. **N. rustica.** L. RS. 13. P. 3. W. 3.

⊙. 8, 9. Colitur ibidem, at minus frequenter. — Corolla e viridi flavescens.

93. DATURA. L. RS. 694. P. 492. W. 377.

262. **D. Stramonium.** L. RS. 2. P. 2. W. 2.

⊙. 6—9. Ex *America* profecta, nunc nimis divulgata, sponte in cultis, ruderatis satis frequens.

263. **D. Tatula.** L. RS. 3. P. 3. W. 3.

⊙. 7—9. In ruderatis, ad vias: *Wesel! Dorsten!* in utroque loco semel tantum visa; frequentior *trans Rhenum,* ideoque certe pro spontanea habenda. — Præcedente sæpe major, caule purpurascente, floribus cœrulescentibus.

94. HYOSCYAMUS. L. RS. 698. P. 494. W. 378.

264. **H. niger.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♂. 5—8. In siccis, cimeteriis, circa domicilia, passim, haud adeo frequens. — In arenosis sterilioribus variat caule simplici, spithamæo, cæterum nullo pacto diversus.

95. VERBASCUM. L. RS. 703. P. 490. W. 376.

265. **V. Thapsus.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♂. 6—8. In pascuis arenosis, ad sepes haud infrequens. — Racemus terminalis, simplex, densus, longissimus; bracteæ calyces paulo superantes; antheræ subæquales. Variat non raro racemis pluribus paniculatis.

266. **V. Thapsiforme.** *Schrader.* RS. 2.

♂. 7—9. In siccis arenosis, præcedente fere

vulgatius. — Praecedenti similis, at plerumque minor, racemo minus denso, floribus majoribus, antheris duabus oblongis, foliisque superioribus acuminatis satis distincta.

267. V. cuspidatum. *Schrader.* RS. 4.

♂. 8, 9. In pascuis arenosis prope *Haltern! Dorsten! Wesel!* pluribusque procul dubio locis. — Distinguitur a priore racemo laxo, corollis subaequaliter rotatis, atque foliis superioribus in acumen longum productis.

268. V. Lychnitis. L. RS. 30. P. 7. W. 6.

*β. V. Moenchii. Schulz.*

♃. 6—8. In ruderatis, pascuis siccis: *Bielefeld*, A.; *Wesel!* rarius. — Flores lactei, staminibus flavescentibus, antheris flavis. Var. *β* differt statura minore, foliis subtus albo-tomentosis, antheris croceis, floribus exsiccatione rufescentibus.

269. V. nigrum. L. RS. 42. P. 9. W. 8.

♃. 6—8. Ad vias, sepes ubique vulgare. — Flores flavi, staminum villo violaceo, antheris croceis.

270. V. Blattaria. L. RS. 50. P. 14. W. 10.

♂. ☉. 6—8. Semel legimus hanc plantam in agro prope *Lütjenbeck* inter Solanum tuberosum, (certe igitur annua); prope *Münster* rarius, K. — Flores racemosi, pedunculis calycibusque pubescenti-viscidis, corolla albida radiis purpurascentibus.

Obs. V. Thapsoidem, ab amicis indicatum, a nullo nobiscum communicatum, regionibus australioribus proprium, ceu dubium reponimus; aeque ac V. ramigerum *Link*, prope *Wesel!* observatum, nimis vero

defloratum, ut illud ceu certum nostris inserere audeamus.

96. VINCA. L. RS. 757. W. 612. W. 480.

271. V. minor. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♄. 4—6. In umbrosis frequens, gregatim per amplum spatium sylvas et vallos ornans. — Sempervirens; floribus pulcherrime cyaneis.

97. SOLANUM. L. RS. 826. P. 506. W. 383.

272. S. tuberosum. L. RS. 1. P. 77. W. 31.

♃. 7, 8. Colitur ubique copiose cum innumeris varietatibus.

273. S. Dulcamara. L. RS. 31. P. 45. W. 15.

♄. 5—7. In umbrosis humidis vulgare. — Scandens; folia superiora plerumque basi appendiculata; baccae rubrae.

274. S. nigrum. L. RS. 51. P. 54. W. 39.

*β. S. melanocerasum. Willd.* RS. 51 β.

☉. 6—10. In cultis et agris arenosis, noc non ad vias, sepes copiose. — Varietas β differt tantum ramis angulatis dentatis, baccis minoribus.

275. S. miniatum. *Bernhardi.* RS. 61.

☉. 6—8. In ruderatis, ad vias: *Wesel auf der Büdricher Jnsel! Emmerich!* rarius. — Distinguitur a praecedente ramis strigoso-pubescentibus, baccis miniatis.

276. S. villosum. *Lamarck.* RS. 66. P. 54 *.

S. nigrum γ villosum. L. W. 39 γ.

☉. 7—9. In cultis: prope *Bielefeld*, A.— Prae-

cedenti simile, differt vero caule plerumque altiore, foliisque minoribus villosis, canescentibus, corollis majoribus. — Ultimae tres species revera nimis affines videntur.

98. PHYSALIS. L. RS. 828. P. 505. W. 382.

277. **P. Alkekengi.** L. RS. 9. P. 11. W. 9.

♃. 6—8. In umbrosis: *Dülmen* prope col. *Grewing* in pago *Daldrup*, N.! — Flores lutei; baccae rubrae intra calycem inflatum latentes.

99. ATROPA. L. RS. 833. P. 502. W. 381.

278. **A. Belladonna.** L. RS. 1. P. 2. W. 2.

♃. 6, 7. In sylvaticis nemorosis: *Teutoburger Wald* prope *Dissen*! *Cappenberg!* — Flores sordide purpurascentes, basi flavescentes, venis purpureis; bacca intra calycem demum stellatum, nigra, nitens, succo violaceo.

100. SAMOLUS. L. RS. 852. P. 388. W. 333.

279. **S. Valerandi.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♂. ♃, 6, 7. Locis uliginosis, praecipue salsis haud infrequens: *Münster*, H.!; *Rheda*, W.; *Rheine*, M.; *Voortlage*, B.; *Dissen!* — Flores albi, racemosi.

101. LOBELIA. L. RS. 873. P. 1584. W. 342.

280. **L. Dortmanna.** L. RS. 8. P. 4. W. 4.

♃. 7. In palustribus: *Telgte*, H. et K.!; inter *Metelen* et *Schöppingen! Dorsten! Neuenhaus*, *Dr. Plagge*. — Planta submersa, floribus cyaneis emersis; folia compresso-teretia, dissepimento longitudinali bilocularia.

### 102. PHYTEUMA. L. RS. 876. P. 431. W. 331.

281. **P. orbiculare.** L. RS. 9. P. 6. W. 6.

♃. 5—7. In pratis et fruticetis turfosis, rarius: *Dülmen im Merfelder Bruch* atque im *Süskenbruch*, N.! — Quod circa hanc plantam subalpinam moveramus dubium, non solum descriptione cl. possessoris herbarii Linnaeani, ad unguem congruente, sed etiam speciminibus ab indefesso Siebero in alpibus lectis, nullo pacto a nostrate diversis, solutum est. — Florum capitulum globosum, post florescentiam elongatum; flores atro-violacei; folia radicalia cordato-ovata, longius petiolata, caulina sessilia, lanceolata, ciliata. Diversum vero videtur P. orbiculare quorundam, foliis radicalibus angustissimis lineari-oblongis distinctum, in montosis *der Eifel* haud rarum, ex agro nostro exul.

282. **P. spicatum.** L. RS. 17. P. 9. W. 9.

♃. 5—7. In sylvaticis umbrosis, tam humidis quam siccis, haud ita frequens. — Præcedente major; spica elongata; flores ochroleuci, subinde fere albi. Ph. nigrum autorum, quod pro varietate hujus habetur, intra fines nostros repertum nescimus.

### 103. CAMPANULA. L. RS. 877. P. 428. W. 329.

283. **C. rotundifolia.** L. RS. 17. P. 13. W. 12.

♃. 5—9. In incultis ubique. — Tempore florendi folia radicalia reniformia sæpius desunt, autumno enascentia; caulina lineari-lanceolata. Variat foliis angustissimis, radicalibus lanceolatis.

284. **C. patula.** L. RS. 42. P. 27. W. 22.

♂. ♃. ? 7, 8. Ad sepes, vias, locis subhumidis lutosis rarior: *Schafdetten! Bentheim!* frequens ad ri-

pas fl. *Werse* prope *Nobiskrug!* — Panicula patentissima, pauciflora; corolla patula, basi attenuata; dentes calycini latiusculi, basi dentati.

285. C. Rapunculus. L. RS. 47. P. 28. W. 23.

*β. glabrata*, *Nobis.*

♂. 5—8. Frequens in pratis, pascuis, ad sepes. — Radix fusiformis, esculenta; calycis laciniæ patulæ subreflexæ, basi denticulatae, corollam ad $^2/_3$ æquantes. Variat rarius caule glaberrimo, racemo simplici, corollis duplo minoribus, calycis lacinias basi vix denticulatas subadpressas duplo superantibus; varietas denuo inquirenda.

286. C. persicæfolia. L. RS. 50. P. 32. W. 26.

♃. 6—8. In sylvaticis montosis calcareis passim. — Flores plantæ in hortis cultæ sæpe albi, spontaneæ semper cœrulei.

287. C. urticæfolia. *Schmidt.* RS. 95. P. 45*. W. 34.

♃. 6—8. In sylvaticis umbrosis, dumetis, satis frequens. — Sequenti, ni fallimur, nimis affinis floribus solitariis præcipue distincta.

288. C. Trachelium. L. RS. 97. P. 52. W. 41.

♃. 6—9. Ubique copiose in nemorosis, dumetis, præsertim calcareis. — Pedunculi triflori; corolla congenerum indigenarum maxima. Planta cæterum valde polymorpha habitu et foliis.

289. C. rapunculoides. L. RS. 99. P. 46. W. 36.

♃. 6—8. In agris et arvis passim, subinde vitium nimis frequens. — Radix repens; flores secundi, breviter pedunculati, racemosi.

290. C. glomerata. L. RS. 110. P. 53. W. 42.

♃. 6—8. In pratis, pascuis siccis calcareis: *Warendorf.* Nic.; *Stromberg! Oelde!* — Capitulum florum terminale, interdum ad apicem caulis pauca axillaria; folia superiora caulina sessilia, basi dilatata amplexicaulia. Variat caule foliisque glabriusculis, scabris et villosis, floribus majoribus et minoribus, glomerulis axillaribus sessilibus et pedunculatis.

291. C. Speculum. L. RS. 213. P. 103. W. 70.

☉. 6—8. In agris, præcipue argillosis frequens. — Corolla plana calycis lacinias subæquans.

292. C. hybrida. L. RS. 216. P. 104. W. 71.

☉. 7, 8. Similibus, ac prior, locis, ast rarior; *Coesfeld*!; abundanter prope *Stromberg! Oelde!* — Corolla sæpe iuexplicata, laciniis calycinis duplo brevior. Memorandum, quod haec æque ac prior, inter segetes hyemales ubertim, inter æstivales vero rarissime occurrat. Utraque variat caule simplicissimo stricto, atque patulo, a basi ramoso.

Obs. Jnquirant populares C. hederaceam L., quam haud longe extra fines in turfosis vicinis Hollandiæ vidisse recordamur.

104. LONICERA. L. RS. 925. P. 485. W. 361.

293. L. Periclymenum. L. P. 2. W. 6.

Caprifolium Periclymenum. *Rœm. et Sch.* RS. 926, 8.

♄. 6—8. In dumetis ubique. — Scandens; flores capitati, terminales, ochroleuci.

294. L. Xylosteum. L. RS. 7. P. 9. W. 11.

♄. 4—6. In sylvaticis et dumetis solo calcareo non rara. — Frutex; pedunculi biflori; corolla albida.

105. RHAMNUS. L. RS. 943. P. 532. W. 405.

295. **R. cathartica.** L. RS. I. P. 1. W. I.

♄. 5, 6. Passim in dumetis, frequens. — Flores plerumque tetrandri, dioici; baccæ 4spermæ.

296. **R. Frangula.** L. RS. 32. P. 21. W. 20.

♄. 5—8. In sylvaticis et dumetis, præcipue turfoso-arenosis abundanter. — Baccæ 2—3spermæ.

106. HEDERA. L. RS. 1020. P. 576. W. 452.

297. **H. Helix.** L. RS. 1. P. 1. W. I.

♄. 9, 10. In sylvaticis, arboribus, muris antiquis ubique. — Repens semper sterilis; scandens aut sterilis foliis uniformibus lobatis, aut fertilis foliis superioribus ovatis.

107. RIBES. L. RS. 1016. P. 575. W. 445.

298. **R. rubrum.** L. RS. 1. P. I. W. I.

♄. 4, 5. In umbrosis humidis, ad fossas frequens.— Colitur in hortis varietas baccis albidis et carneis.

299. **R. alpinum.** L. RS. 10. P. 8. W. 5.

♄. 4, 5. Ad sepes passim: copiosissime prope *Coesfeld!* — Differt a præcedente racemis suberectis, bracteis flores paulo superantibus. Flores saepe steriles.

300. **R. nigrum.** L. RS. 20. P. 16. W. 8.

♄. 5, 6. Ad fossas, in umbrosis humidis vulgare. — In cultis baccae plerumque majores.

301. **R. reclinatum.** L. RS. 39. P. 26. W. 12.

♄. 4, 5. In muris, ruderatis passim. — Bracteae triphyllae; baccae atro-purpureae.

302. **R. Grossularia.** L. RS. 40. P. 27. W. 13.

♄. 4, 5. In dumetis, praecipue solo arenoso vulgare. — Bracteae binae; baccae hirsutae.

303. **R. Uva crispa.** L. RS. 41. P. 28. W. 14.

♄. 4, 5. Similibus locis, praesertim solo argillaceo. — Bracteae connatae; baccae glabrae. — Distinctione trium harum specierum de bracteis desumta, ut alii jam monuere, nimis lubrica, fructuumque proprietatibus cultura valde, ut videmus, variantibus, illas nimis affines esse, fatendum est. Cultura autem, qua alii illas perstare affirmaverunt, vox est, ni fallimur, nimis vaga atque incerta, immerito forsan in re botanica usitata. Omnes enim plantarum perennantium varietates coli atque propagari possunt, cultura igitur perstant. Aliud est de disseminatione fructuum, qua reiterata sola dubia solvi queunt.

### 108. EVONYMUS. L. RS. 1002. P. 539. W. 424.

304. **E. europæa.** L. RS. 1. P. 3. W. 3.

♄. 5, 6. In sylvis et dumetis fere ubique. — Flores tetrandri; capsulae pentagonae, rubentes; arilli aurantiaci.

### 109. IMPATIENS. L. RS. 972. P. 583. W. 447.

305. **I. Noli tangere.** L. RS. 15. P. 12. W. 12.

☉. 7, 8. In umbrosis humidis vulgaris. — Flores speciosi, citrini, nectario postice elongato; valvulae fructus maturi tactu elastice desiliunt.

### 110. VIOLA. L. RS. 973. P. 582. W. 446.

306. **V. hirta.** L. RS. 30. P. 12. W. 9.

♃. 4, 5. In dumetis, ad sepes, praesertim solo calcareo vulgaris. — Inodora; tota piloso-hispida.

307. **V. odorata.** L. RS. 41. P. 14. W. 12.

♃. 3, 4. Ad sepes, in pascuis siccis fere ubique. — Odorata, glabriuscula. Variat floribus albis, nec non in hortis floribus plenis. — Hanc, aeque ac praecedentem vidimus florentem per totam aestatem in autumnum usque, floribus exiguis apetalis, calycibus obtusissimis albidis demum purpurascentibus, antheris liberis distantibus germini adpressis.

308. **V. palustris.** L. RS. 37. P. 13. W. 11.

♃. 4—6. In pascuis humidis ubique frequens. — Glabra; flores dilute cœrulei, interdum carnei, inodori.

309. **V. canina.** L. RS. 44. P. 15. W. 13.

β. *maculata*, *Nob.*, floribus minoribus pallidis, ad basin petalorum maculis saturatioribus.

γ. *alba*, floribus albis.

δ. *cæspitosa*, *Nob.*, caulibus radicantibus, densum caespitem formantibus, pedunculis erectis folia excedentibus, floribus speciosis, pallide cœruleis, exsiccatione albescentibus, foliis primariis subreniformibus.

ε. *V. degener.* *Schweigger*, floribus inferioribus petaliferis sterilibus, superioribus apetalis fructiferis. Haec iterum variat caulibus foliisque glabris et hispidis, nec non pedunculis supra bracteas incrassatis, compressis, infra eas semiteretibus.

ζ. *subacaulis*, *Nob.*, pumila, floribus in siccis apricis minimis, in pratis humidis majusculis, saturate cyaneis, nectario brevi, sulcato, semper ochroleuco; foliis rigidis subcarnosis, oblongis, obtusis. (an V. ericetorum *Schrad.?*)

♃. 4—6, saepe iterum 9; apetalae 5—9. In sylvaticis, pascuis, dumetis, tam in umbrosis quam in apricis ubique; β prope *Coesfeld!;* γ passim ad sylvarum margines, ast rarior; δ ibidem!; ε in umbrosis; ζ in ericetis et pascuis sterilioribus. — Omnium caulis uno latere subcanaliculatus; pedunculus tetragonus; calyces lanceolati acuti.

310. V. tricolor. L. RS. 81. P. 30. W. 24.

☉. 4—10. In cultis, arvis, dumetis vulgatissima, praecipue solo arenoso. — Flores speciosi, corolla calycem superante, alba, flava, bicolore, tricolore, et omnino violacea, saepe in eodem loco natali.

311. V. arvensis. *Sibthorp.* RS. 83. P. 31.

☉. 4—8. In agris, arvis, praecipue argillosis vulgata. — Corolla calycem pilosum subaequans, plerumque flava, rarius bicolor. — Quamquam et nobis compertum fuerit, neque corollae magnitudinem neque colorem ejus certas praebere differentias inter hanc et praecedentem, attamen eas specie diversas habere fatemur, formasque inter utramque ambigentes hybridas proles esse putamus. Ceterum haec aeque ac prior non solum habitu, sed etiam stigmate urceolato adeo a congeneribus recedunt, ut non immerito proprium genus constituere posse videantur.

111. JASIONE. L. RS. 1009. P. 1586. W. 328.

312. J. montana. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

*β. flore albo.*

♂. ♃. 6—9. In sylvaticis, arvis et pascuis vulgaris. — Planta autoribus annua, nobis saepius biennis, interdum, praesertim hyeme miti, perennans, iterumque florens.

313. **J. perennis.** *Lamarck.* RS. 2.

♃. 6, 7. Cum priori passim, solo lutoso, ast non frequens. — Plantam hanc, nuper a cl. *Wallroth* denuo distinctam calycibus 16—20phyllis, florum pallidiorum capitulis majoribus, capsulisque oblongis, formis autem intermediis arcte cum priore conjunctam, vix specie a priore sejungere possumus.

112. ILLECEBRUM. L. RS. 1027. P. 589. W. 465.

314. **I. verticillatum.** L. RS. 1. P. 1. W. 5.

♃. 6—8. In ericetis sabulosis ubique copiose. — Caules prostrati, glabri, sæpe rubentes; flores exigui, numerosi, albi.

## DIGYNIA.

113. CYNANCHUM. *R. Brown.* RS. 1097. P. 624.

315. **C. Vincetoxicum.** *R. Brown.* RS. 18. P. 37.
Asclepias Vincetoxicum. L. W. 490, 23.

♃. 6, 7. In sylvaticis montosis lapidosis calcareis: *Lengerich im Busche des Col. Overesch*, B. — Folia opposita, ovata, acuminata; umbellæ axillares; flores albi.

114. GENTIANA. L. RS. 1113. P. 635. W. 512.

316. **G. cruciata.** L. RS. 12. P. 9. W. 9.

♃. 6—9. In pascuis sylvaticis calcareis: *Rheine*, M.; *Darup bei der Kapelle und am Baarholz! Billerbeck!* alibique haud frequens. — Dense foliosa, foliis decussatis; corolla quadrifida, albida, apice dilute cœrulea, intus punctis virentibus.

317. G. Pneumonanthe. L. RS. 19. P. 16. W. 12.

♃. 8, 9. In ericetis, pascuis humidiusculis ubique vulgaris. — Caules plerumque adscendentes; flores pauci, formosi, corolla plicata plus minuve saturate cyanea, plicis virescentibus.

318. G. germanica. *Willden.* RS. 50. W. 38.

*β. ramosissima*, *Nobis.*

☉. 8, 9. In sylvaticis et pascuis siccis calcareis frequens. — Corolla quinquefida, purpureo-cœrulea, laciniis ovato-lanceolatis. Varietas *β* differt caule a basi inde ramosissimo, ramis approximatis, corollis abbreviatis calycem parum excedentibus, unde diversum omnino habitum induit. Præterea magnitudo plantæ pro solo natali valde variabilis a triunciali ad sesquipedalem altitudinem, ramis internodiis nunc longioribus, nunc brevioribus. Secundum *Engl. Botany* hæc vera est Linnæi G. Amarella, quod autores laudati negant.

319. G. Amarella. *Willd.* RS. 51. P. 40. W. 39.

☉. 8, 9. In pascuis sylvaticis calcareis: *Rheine*, M.; *Bielefeld in montibus Altenberg et Brandsberg*, A.; *Lengerich*, B. — Planta sæpe cum præcedente, cui simillima, confusa atque ulterius examinanda, nobiscum nondum communicata, ab amico prius laudato autem secundum Sturmii Fl. germ. examinata atque pro certa indicata. Differt ab illa caule plerumque minore, foliis angustioribus, præcipue vero corollæ laciniis angustis, lanceolatis, nec ovatis; a sequente foliis latioribus, statura robustiore, floribus duplo majoribus, calycum dentibus corollæ tertiam partem vix superantibus. Eadem esse dicitur cum G. lancifolia *Besser.*

320. **G. uliginosa.** *Willd.* RS. 52. P. 44. W. 41.

☉. 8, 9. In pascuis subhumidis haud frequens: *Münster auf Loddenheide und Mauritzheide! Ochtrup im Ströenfelde!* atque pluribus procul dubio locis. — Planta nobis sub sequentis titulo indicata, gracilis, 1—4pollicaris; foliis lanceolatis, inferioribus linearibus acutis; corolla minore ex viridi purpurascente, limbo cœrulescente 4—et 5fida, laciniis acutis; caule basi subalato; calycibus subæqualibus elongatis corollæ dimidium superantibus, abunde distincta.

321. **G. campestris.** L. RS. 56. P. 46. W. 43.

☉. 8—10. In collibus graminosis calcareis rarior: *Bielefeld in montibus Altenberg et Brandsberg*, A.; *Lengerich*, B.; *Altenberge!* — Corolla ratione plantæ magna, dilute cœrulea, laciniis obtusiusculis; calycis laciniæ duæ maximæ, foliaceæ.

322. **G. ciliata.** L. RS. 66. P. 55. W. 52.

♃. 8—10. In pascuis siccis calcareis haud frequens: *Ravensberg*, W.!; *Lengerich*, B.; *Warendorf*, Nic.; *Altenberge! Neuenberge!* — corolla quadrifida, plerumque saturate cœrulea, laciniis inciso-ciliatis.

115. CUSCUTA. L. RS. 1119. P. 643. W. 262.

323. **C. europæa.** L. RS. 1. W. 1.

C. vulgaris. *Pers.* P. 1.

☉. 7—9. In dumetis, sepibus, vulgaris. — Caulis ut in congeneribus filiformis, scandens; florum capituli sessiles, floribus basi subliberis, corollis 4—5fidis, calycem 4—5fidum dimidio superantibus. Planta parasitica, plerumque rubens, variis stirpibus insidens.

324. **C. Epilinum.** *Weihe in litt.*

☉. 7, 8. Parasitica in Linum usitatissimum, ad-

vecta videtur cum seminibus plantæ hujus e regionibus borealioribus. — Differt a præcedente: floribus basi connatis; calyce gibboso, verrucoso, quinquefido; corolla quinquefida, laciniis calycem vix superantibus; staminibus 5 inappendiculatis; stylis 2 cruciatis; colore flavescente.

325. **C. Epithymum.** *Murray.* RS. 5. P. 3.

C. europæa β. L. W. 1β.

⊙. 7, 8. In ericetis, parasitica in Thymo, Erica etc., passim copiose. — Differt ab utraque præcedentium: caulibus fere capillaceis, tortuosis; staminibus basi squama crenata auctis.

116. CHENOPODIUM. L. RS. 1139. P. 657. W. 497.

326. **C. bonus Henricus.** L. RS. 1. P. I. W. 1.

♃. 5—7. Ad sepes, muros, in ruderatis fere ubique. — Folia triangulari-hastata, subtus pulverulenta.

327. **C. rubrum.** L. RS. 7. P. 6. W. 6.

α. *strictum*, *Nobis.*

β. *diffusum*, *Nobis.*

⊙. 7, 8. In ruderatis, ad vias, haud adeo frequens: *Bielefeld prope Werther*, A.; *Münster! Wesel! Laar! Dissen! Wiedenbrück!* alibique. — Planta valde polymorpha, foliis inferoribus triangularibus dentatis, superioribus saepius basi productis, atroviridibus, demum rubentibus; seminibus minutissimis; caule in α erecto, stricto, in β patulo, saepe difuso; racemis in α longioribus, erectis, subaphyllis, in β multo brevioribus, saepe e paucis glomerulis compositis, patentiusculis; semper vero a Ch. urbico, ex agro nostro exule, abunde diversum.

328. **C. murale.** L. RS. 11. P. 7. W. 8.

⊙. 6—9. Ad sepes, in ruderatis satis vulgare. — Folia ovata, acuta, inaequaliter dentata, nitida; racemi corymbosi, aphylli. — Extra fines legimus hujus plantae, ni fallimur, varietatem, foliis integerrimis cauleque omnino rubris, racemis valde diffusis, insignem.

329. **C. album.** L. RS. 16. P. 10. W. 11.

*β. C. viride.* L. RS. 16γ. P. 11. W. 12.

*γ. microphyllum.* *Nobis.*

⊙. 6—8. Locis cultis et incultis ubique; β rarius ad sepes, vias; γ frequens in pascuis et ruderatis prope *Dorsten! Rees! Wesel!* alibique versus *Rhenum.* — Folia rhomboideo-ovata, erosa, superiora sæpe integra; racemi elongati fere aphylli; semina laevia. Varietas β differt præter colorem minus canum racemis laxioribus paniculatis omnino aphyllis; immerito forsan priori subscripta, saltem habitu constanter diversa. Varietas γ autem foliis omnibus conformibus, integerrimis, exacte lanceolatis, longius petiolatis, vix unciam longis, floribus seminibusque duplo fere minoribus, calycibus 5gonis, angulis obtusis parum prominentibus, punctis nitidis adspersis, longius ab illo recedere videtur. Haec ultima specimini Ch. lanceolati *Mühlenb.* adeo similis, ut plane dignosci nequeat. Variat insuper foliorum forma atque partium colore.

330. **C. opulifolium.** *Schrader.* RS. 17.

⊙. 7—9. Ad sepes et vias: *Münster vor dem Abschnitt-Thor, — und bei Aegidii Thor!* Differt a praecedente foliis brevioribus, obtusis, rhomboideis, sinuatis; racemis brevioribus congestis.

331. **C. ficifolium.** *Smith.* RS. 15. P. 11 *.

⨀. 8, 9. In ruderatis, cultis, inter olera passim. Ch. albo simile, at distinctum foliis inferioribus hastatis, et praecipue seminibus excavato-punctatis.

332. C. hybridum. L. RS. 19. P. 13. W. 13.

⨀. 6—8. In hortis, inter olera rarius: *Coesfeld! Velen!* alibique. — Herba viridis; folia acuminata, basi subcordata, angulato-dentata; racemi paniculati.

333. C. glaucum. L. RS. 30. P. 18. W. 18.

⨀. 6—8. In ruderatis, ad vias: *Münster! Wesel! Emmerich! Rees!* non rarum. — Folia oblonga, repanda, subtus glauca. Planta saepe pulcherrime rubescit.

334. C. Vulvaria. L. P. 19. W. 19.

C. foetidum. *Lamarck.* RS. 34.

⨀. 6—8. In ruderatis, plateis, ad muros: *Rees! Wesel!* — Folia integerrima rhomboidea; herba odorem fœtidum halecum spargit.

335. C. polyspermum. L. RS. 35. P. 20. W. 20.

⨀. 7, 8. In cultis, agris non rarum. — Folia viridia, integerrima, ovata; florum cymi dichotomi aphylli.

336. C. acutifolium. *Kitaibel.* RS. 37.

⨀. 7, 8. In cultis et agris cum priore, nec illo minus frequens. — Praecedenti valde affine, atque, praeter foliorum formam non adeo constantem, non nisi antheris strictis erectis, nec ut in illo cymosis divaricatis, diversum. Inveniuntur vero specimina, qui inter utrumque ambigunt.

117. ATRIPLEX. L. RS. 1140. P. 656. W. 1876.

337. A. roseum. L. RS. 16. P. 6. W. 11.

⊙. 7, 8. In ruderatis, locis siccis: *Bielefeld*, A.; *Dissen! Rheine!* — Magnitudine valde variabili; folia incana, triangularia, inaequaliter dentata; calyces in rosulam digesti, quadrangulares, dentati.

338. A. hortense. L. RS. 22. P. 9. W. 14.

⊙. 7, 8. Planta olim e Tartaria translata, nunc ubique inter olera sata et spontanea in muris et ruderatis. Varietas rubra cultura perstare videtur.

339. A. patulum. L. RS. 36. P. 13. W. 24.

⊙. 6—8. In cultis et ruderatis vulgare. — Valvulae calycinae plerumque disco muricatae.

340. A. ruderalis. *Wallroth.*

⊙. 6—8. In ruderatis, praecipue locis salsis: prope *Rheine!* et *Dissen!* — Differt a praecedente valde affini: foliis minoribus, superioribus conformibus hastato-deltoideis; inflorescentia paniculata; valvulis denique ovatis, integerrimis, semen aequantibus, nec illud longe superantibus.

341. A. angustifolium. *Smith.* RS. 40. W. 25.

⊙. 6—8. Similibus cum priori locis haud rarum. — Folia integerrima, inferiora hastata; valvulae majores, quam in praecedente, plerumque planae. — Omnia Atriplicia locis salsis magis succulenta, subcarnosa evadunt.

118. HERNIARIA. L. RS. 1145. P. 655. W. 496.

342. H. glabra. L. RS. I. P. I. W. I.

♃. 7, 8. In agris, arvis, pascuis siccis ubique. — Prostrata, diffusa glabra; flores in axillis glomerati, minuti, virides.

343. H. hirsuta. L. RS. 2. P. 2. W. 2.

♃. 7, 8. In arvis ad *Rhenum!* rarissima. — Omnium partium hirsutie a praecedente distincta.

119. BETA. L. RS. 1141. P. 658. W. 498.

344. B. vulgaris. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♂. 7—9. Colitur ubique in hortis et agris sub nomine vernaculo *Runkelrübe*, nec non varietas ejus *rothe Bete* dicta.

120. ULMUS. L. RS. 1147. P. 652. W. 505.

345. U. campestris. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♄. 3, 4. In sylvaticis rarior, frequens ad vias plantata prope *Anholt! Rees!* etc. — Flores pentandri, brevius pedunculati; samarae glabrae, margine maximo suborbiculari cinctae.

346. U. suberosa. *Ehrhart.* RS. 2. P. 2. W. 2.

♄. 4, 5. In dumetis, viis passim: *Coesfeld* versus praedium *Lohburg!*; frequentior versus *Rhenum!* — Flores plerumque tetrandri, rarius triandri, brevius pedicellati; samarae glabrae, basi attenuatae; cortex ramorum angulato-suberosus.

347. U. effusa. *Willden.* RS. 4. P. 5. W. 3.

♄. 3, 4. In sylvaticis, solo praecipue calcareo, rara: *am Baumberge!* nec non ad vias versus *Rhenum!* — Flores 6—8andri, longius pedicellati; stamina longitudine variabili; pistilla duo inaequalia; samarae ciliatae; folia subtus pubescentia, nec scabra; ramuli juniores pubescentes, nec ut in duabus praecedentibus glabri.

## *UMBELLIFERAE.*

### 121. ERYNGIUM. L. RS. 1156. P. 668. W. 518.

348. **E. campestre.** L. RS. 40. P. 1. W. 7.

♃. 7, 8. In pascuis siccis ad ripas fluviorum *Rheni, Lippe, Emse,* aliorumque abundanter. — Planta nostra, optime monente cl. D. *à Schlechtendal,* multum differt ab illa, quæ ad *Albim* locisque vicinis provenit. Quod si posterior fide cl. *Smithii* pro vera Linnæi planta censenda, nostri aliud cognomen tribuendum est, foliorum lobis multo latioribus, pedunculis elongatis, involucris capitulo triplo longioribus, staturaque validiore abunde diverso.

### 122. SANICULA. L. RS. 1160. P. 676. W. 521.

349. **S. europæa.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 5, 6. In nemorosis umbrosis præcipue argillosis vulgaris. — Folia radicalia septemloba, lobis trifidis; umbellæ partiales capitatæ.

### 123. HYDROCOTYLE. L. RS. 1164. P. 672. W. 519.

350. **H. vulgaris.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 5—8. In sylvaticis, pascuis udis, ad fossas, præsertim solo turfoso copiose. — Folia subrotunda, peltata; flores sæpius quinque, in capitulum dispositi.

### 124. PIMPINELLA. L. RS. 1174. P. 722. W. 562.

351. **P. magna.** L. RS. 1. P. 3. W. 3.

♃. 7, 8. In sylvaticis, præcipue argillosis et lutosis, ubique. — Sequente major, in dumetis interdum fere orgyalis; foliola subovata, grosse serrata; impar plerumque trilobum.

352. **P. Saxifraga.** L. RS. 2. P. 1. W. 1.

*β. P. dissecta.* L. P. 5. W. 4.

*γ. P. nigra.* L. P. 2. W. 2.

♃. 6—9. In pascuis et sylvaticis siccis, præcipue calcareis, frequens. — P. dissectam æque ac nigram, quamvis notis stabilioribus in eodem solo a P. Saxifraga recedant, auctoritate cl. Sprengel ductus, non plane convictus, ceu varietates enumeravimus. Differunt autem, *α* foliolis radicalibus subrotundis, *β* foliolis omnibus pinnatisectis, *γ* caule foliisque pubescentibus, foliolis radicalibus subcordatis.

### 125. BUPLEURUM. L. RS. 1170. P. 678. W. 523.

353. **B. rotundifolium.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

☉. 6, 7. Inter segetes solo argillaceo rarius: *Lengerich*, B.; *Lüdinghausen*, N.! *Beckum*! *Oelde! Drensteinfurth! Heessen!* — Folia ovata, perfoliata.

354. **B. falcatum.** L. RS. 11. P. 8. W. 8.

♃. 6—8. In pascuis et ambarvalibus ad ripas *Rheni!* rarius. — Folia radicalia oblonga, caulina lineari lanceolata.

### 126. SISON. *Sprengel.* RS. 1177.

355. **S. Podagraria.** *Sprengel.* RS. 4.

Aegopodium Podagraria. L. P. 724, 1. W. 564, 1.

♃. 5, 6. In nemorosis, cultis, ad sepes, vulgatissima stirps. — Locis umbrosis plerumque non florens, radice vero longe lateque repente nimis propagata. Foliolorum forma pro solo natali valde variabilis.

### 127. CARUM. L. RS. 1178. P. 721. W. 561.

356. **C. Carvi.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♂. 5, 7. In pratis et pascuis: *Lengerich*, B.; *Bielefeld*, A.; ad ripas fl. *Lippe*! et *Rheni!* — Alibi colitur nomine vernaculo *Kümmel* propter fructus grate aromaticos.

128. CNIDIUM. *Sprengel.* RS. 1179.

357. **C. Silaus.** *Sprengel.* RS. 4.

Peucedanum Silaus. L. P. 689, 10. W. 536, 7.

♃. 6, 7. In pascuis siccis passim: *Lengerich*, B.; ad *Rhenum! Stromberg*! *Nienberge*! — Variat foliolis obtusis et acuminato-cuspidatis.

129. OENANTHE. L. RS. 1180. P. 704. W. 548.

358. **O. fistulosa.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. Ubique in fossis et sulcis pratorum. — Glaucescens; foliola superiora cylindrica, cava.

359. **O. peucedanifolia.** *Pollich.* RS. 5. P. 7. W. 5.

♃. 6, 7. Ad margines fossarum rarissima: *Dülmen vor dem Burgthor* semel, N.! — Præcedente validior; radix tuberosa; foliola linearia, acuta.

360. **O. Phellandrium.** *Lamarck.* RS. 10.

Phellandrium aquaticum. L. P. 705, 1. W. 549, 1.

♂. 6, 7. In fossis, piscinis vulgaris. — Ramosissima, sæpe 4—5pedalis; folia tripinnata, foliolis divaricatis, inferioribus tenuioribus.

130. APIUM. L. RS. 1181. P. 723. W. 563.

361. **A. graveolens.** L. RS. 1. P. 2. W. 2.

♂. 7, 8. In uliginosis salsis: copiose prope *Dissen*! ubi vere indigena; cæterum planta ubique culta,

quæ non nisi radicis magnitudine succoque haud acro a spontanea diversa est.

362. **A. Petroselinum.** L. RS. 2. P. 1. W. 1.

♂. 6, 7. Colitur ubique in hortis, unde aufuga interdum ceu spontanea occurrit; minime indigena.

131. MEUM. *Sprengel.* RS. 1182.

363. **M. Fœniculum.** *Sprengel.* RS. 4.

Anethum Fœniculum. L. P. 720, 3. W. 560, 3.

♂. 6, 7. Aufuga ex hortis, ubi frequenter colitur, non raro ceu spontanea in cultis et agris. *(Fenchel.)*

364. **M. inundatum.** *Sprengel.* RS. 7.

Sison inundatum. L. P. 700, 6. W. 545, 5.

♃. 5—7. In inundatis, fossis et stagnis, præcipue solo arenoso-turfoso vulgatum. — Folia submersa capillaceo-multifida, emersa impari pinnata, pinnis angustis, sæpe apice trifidis; pedunculi oppositifolii, bifidi; umbellæ subquinquefloræ, involucro tetraphyllo.

132. CICUTA. L. RS. 1188. P. 706. W. 550.

365. **C. virosa.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. In aquis, fossis, passim nimis abundanter. — Folia tripinnata, foliolis subternis, lanceolatis, serratis. Variat foliolis latioribus et angustioribus.

133. AETHUSA. L. RS. 1189. P. 707. W. 551.

366. **A. Cynapium.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

*α. hortensis*, caule elato 1—4pedali.

*β. agrestis*, depressa, caule 2—6unciali.

⊙. 6—8. In cultis, ad sepes, nec non in agris ubique. — Varietas *β* præter notas jam allatas differt pedunculis plerumque folio suo brevioribus. Omnibus folia bipinnata, pinnis pinnatifidis, decurrentibus, laciniis incisis.

367. A. segetalis. *Nobis.*

⊙. 7, 8. In agris, inter segetes, stipulas, præcipue solo argillaceo et calcareo passim cum priore *β*. — Plantam propter habitum suum peculiarem atque differentias fideliter redeuntes a præcedente specie distinguere audemus. Differt autem ab illa caule semper depresso, 2—4pollicari, a radice inde ramoso, deliquescente; foliis inferioribus longius petiolatis, simplicibus, profunde tripartitis, foliola ternata mentientibus, laciniis lato-cuneatis, obtusis, apice trifidis, petiolis basi sæpius non vaginantibus; superioribus conformibus aut ternatis, foliolis obovato-cuneatis, apice incisis, obtusis; pedunculis folio suo brevioribus aut subæquantibus, nunquam longioribus; staminibus petala duplo superantibus. Fructus idem ac prioris.

134. THYSSELINUM. *Hoffmann.* RS. 1194.

368. T. palustre. *Sprengel.* RS. 1.
Selinum palustre. L. P. 686, 2. W. 534, 2.

*β. Th. palustre. β. Sprengel.* RS. 1*β*.
Selinum sylvestre. L. P. 686, 1. W. 534, 1.

♃. 6—8. In pratis, sylvaticis humidis ubique; *β* in sylvaticis siccis: *Dülmen*, N.; *Rheine*, M.; *Telgte! Bentheim! Coesfeld!* — Foliola brevissime ciliata, cum petiolis scabriuscula; umbellarum radii pubescentes.

135. CAUCALIS. L. RS. 1195. P. 680. W. 528.

369. C. grandiflora. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

☉. 6—8. In agris, inter segetes rarior: *Rheine*, M. — Flosculis radii petalo maximo instructis ab omnibus facile discernitur.

370. **C. latifolia.** L. RS. 2. P. 3. W. 3.

☉. 6—8. Inter segetes: *Rheine*, M. — Planta nobis non visa ac dubia civis.

371. **C. daucoides.** L. RS. 3. P. 2. W. 2.

☉. 6, 7. In agris, arvis et ambarvalibus: *Buldern*, N.; *Nienberge! Altenberge! Stromberg*! ast rarior. — Umbellæ trifidæ, umbellulæ plerumque tricarpæ; folia tripinnata, foliolis divaricatis.

### 136. DAUCUS. L. RS. 1196. P. 681. W. 530.

372. **D. Carota.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♂. 6—9. In pascuis siccis, versuris vulgaris. — Plantæ cultae varietates exstant plures; sed et in spontanea vidimus caules foliaque hispidi, setis brevissimis scabri et omnino glabri.

### 137. TORILIS. *Adanson.* RS. 1197.

373. **T. Anthriscus.** *Gmelin.* RS. 1.

Caucalis Anthriscus. *Scopoli.* P. 680, 11. W. 528, 11.

♂. 7, 8. In dumetis ubique. — Caulis pilis arcte deflexis scaber; fructus setis incurvis saepe violaceis muricatus.

374. **T. helvetica.** *Gmelin.* RS. 2.

Scandix infesta. *Curt.* W. 553, 9. Caucalis arvensis. *Huds.* P. 680, 12.

☉. 7, 8. In arvis, agris, inter segetes, solo argillaceo, rarior. — Differt a priori valde affine caule

humiliore diffuso, partium scabritie haud strigosa, seminibus majoribus, atque defectu involucri.

138. SCANDIX. L. RS. 1203. P. 711. W. 553.

375. S. Pecten. L. RS. 1. P. 2. W. 2.

☉. 6, 7. In agris, præcipue argillosis, copiose. — Fructibus longissime rostratis ab omnibus facile discernitur.

139. MYRRHIS. *Gærtner.* RS. 1204. P. 710.

376. M. odorata. *Scopoli.* RS. 1. P. 1.

Scandix odorata. L. W. 553, 1.

♃. 6, 7. In pascuis prope *Lengerich*, B.; ad sepes circa domicilia passim, hortorum aufuga. — Seminibus maximis, fere uncialibus, a congeneribus distincta.

377. M. bulbosa. *Sprengel.* RS. 9.

Chærophyllum bulbosum. L. P. 714, 6. W. 554, 2.

♂. 6, 7. In dumetis rara: *Münster am Kanal*, W.; *Rheine*, M.; *Lengerich*, B.; *Coesfeld!* — Involucella glabra, cuspidata; radix tuberosa; foliola linearia multifida.

378. M. temula. *Sprengel.* RS. 11.

Chærophyllum temulum. L. P. 714, 8. W. 554, 4.

♂. 6, 7. In dumetis, ad sepes vulgaris. — Involucella reflexa, ciliata; foliola ovata, incisa.

140. CHÆROPHYLLUM. L. RS. 1205. P. 714. W. 554.

379. C. sativum. *Gærtner.* RS. 1. P. 3.

Scandix Cerefolium. L. W. 553, 4.

☉. 5, 6. In cultis, ad hortorum sepes passim quasi spontaneum, vix inquilina; colitur sub nomine *Körbel.*

380. C. sylvestre. L. RS. 2. P. 1. W. 1.

♃. 5—8. Ad sepes, in dumetis et umbrosis ubique. — Folia tripartito-decomposita, foliolis ovatis profunde incisis; fructus oblongi, nitidi, glaberrimi, per lentem punctulati.

141. SIUM. L. RS. 1210. P. 699. W. 544.

381. S. latifolium. L. RS. 1. P. 2. W. 2.

♃. 7, 8. Ad ripas fluviorum, in fossis et piscinis, solo præcipue arenoso vulgare. — Folia simpliciter pinnata, foliolis magnis, oblongo-lanceolatis, serratis. Foliorum radicalium pinnæ sæpe varie dissectæ et laciniatæ sunt.

382. S. angustifolium. L. RS. 3. P. 3. W. 3.

♃. 7, 8. In fossis, inundatis, pratorum sulcis, solo præcipue argilloso, vulgare. — Præcedente minor. Foliolorum radicalium par infimum remotum cæterisque minus, foliola caulina superiora profundius incisa aut pinnatisecta.

383. S. repens. L. RS. 5. P. 5. W. 5.

♃. 6—10. In fossis, pratis humidis: *Dülmen im Süskenbruch,* N.; *Coesfeld bei der Walkenbrücke!; Bentheim! Mastholte!* alibique. — Caules repentes; foliola subrotunda aut cuneata; umbellæ paucae pedunculatae.

384. S. Falcaria. L. RS. 6. P. 10. W. 9.

♃. 6, 7. In agris lutosis inter segetes haud fre-

quens: inter *Wesel* et *Rees!* — Folia coriacea, glaucescentia, decursive pinnata, cartilagineo-serrulata.

385. S. Bulbocastanum. *Sprengel.* RS. 11.

Bunium Bulbocastanum. L. P. 684, 1. W. 532, 1.

♃. 6, 7. Inter segetes solo argilloso rarius: *Dülmen auf dem Wedderbrink;* N.! *Nienberge,* H. — Radix tuberosa, esculenta; foliola linearia, cuspidata, canaliculata, in foliis inferioribus saepe difformia. Plantam e loco ultimo laudato nondum vidimus; haec forsan pertinet ad Myrrhidem Bunium, *Sprengel,* (Bun. flexuosum, *Smith.*) caule sub terra elongato, flexuoso, basi nudo, involucro 1—3phyllo, saepe nullo, discernendam.

142. CONIUM. L. RS. 1211. P. 685. W. 533.

386. C. maculatum. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♂. 7, 8. In ruderatis, ad sepes ubique nimis vulgare. — Odor herbae tritae nauseosus. Caulis glaber, maculis purpureis notatus; involucrum quinquephyllum deciduum; involucella dimidiata, triphylla, deflexa; achaeniorum costae undulato-crenulata. Plantam saepe cum Aethusa confusam vidimus.

143. HERACLEUM. L. RS. 1216. P. 696. W. 541.

387. H. Sphondylium. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

*β. lasiocarpum,* *Nobis.*

♂. 6—9. In dumetis, sylvaticis ubique. — Variat non solum caule graciliore atque pinnis foliorum angustis, sed etiam ad *Rheni* ripas specimina vidimus omnibus partibus immo et fructibus hispidis, ceterum vero nullo modo diversa, quae sub β indicanda putavimus.

388. **H. angustifolium.** L. RS. 2. P. 3. W. 3.

♂ 7, 8. In circuitu fortificationum urbis *Wesel!*, quas intrare non licet, unicum legimus specimen, procul dubio spontaneum; plura forsan inter frutices ibidem plantatas latent. — Foliola linearia, longissima, decurrentia, bina utrinque basi connata, ut quasi cruciata appareant; flores virescentes, uniformes.

### 144. PASTINACA. L. RS. 1217. P. 718. W. 558.

389. **P. sativa.** L. RS. 1. P. 2. W. 2.

*β. arvensis. Pers.* P. 2β.

♂. 7, 8. Colitur passim; spontanea hinc inde in cultis et pascuis; β prope *Rheine!* et ad *Rhenum!* cum vulgari occurrit. — Varietas β, undique dense pubescens, specie forsan a P. sativa separanda, quum haec etiam in sylvaticis et siccis semper glabra maneat.

### 145. ANGELICA. L. RS. 1220. P. 698. W. 543.

390. **A. Archangelica.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 7—9. In dumetis humidiusculis: *Darup am Ramesbruche!* unico tantum loco. — Umbellae globosae, multiradiatae; foliolum extimum tripartitum.

391. **A. sylvestris.** L. RS. 2. P. 2. W. 2.

♃. 7, 8. In pratis et sylvaticis humidis ubique. — Planta fructibus et involucellorum foliolis nimis variabilis. In illis enim costae dorsales non raro marginis membranacei ad instar excrescunt, ita ut omnes alaeformes evadant. Involucellae autem nunc fere setaceae, brevissimae; nunc lanceolatae, pedicellos subaequantes; nunc vero elongatae, dentato-pinnatisectae, pedicellos superantes. Non minores interdum in foliis observantur lusus, pinnis extimis distinctis, aut plus

minusve confluentibus. Nusquam vero hae varietates certis circumscribi possunt limitibus.

392. **A. Carvifolia.** *Sprengel.* RS. 9.
Selinum Carvifolia. L. P. 686, 6. W. 534, 5.

♃. 7—9. In sylvaticis, dumetis, praesertim solo calcareo: *Coesfeld auf dem Berge*! *Billerbeck!* copiose inter *Wiedenbrück* et *Stromberg!* — Planta saepe cum Selino (Thysselino) sylvestri L. commutata, primo autem intuitu caule sulcato-alato facile discernenda.

**146. IMPERATORIA. L. RS. 1221. P. 715. W. 555.**

393. **I. Ostruthium.** L. RS. I. P. I. W. I.

♃. 6—8. In umbrosis: *Coesfeld unfern der städtischen Ziegeley!* unico loco, an indigena, nescimus, certe autem ibi spontanea. — Folia ternata, maxima; flores albidi. Angelicae Arch. similis praeter notas allatas.

394. **I. pimpinelloides.** *Sehlmeyer in litt.*

♃. 7—9. In pascuis graminosis ad ripas *Rheni* prope *Wesel!* rarior. — „Caulis simplex, teretiusculus, striato-sulcatus, saepe flexuosus, superne parce ramosus, glaber; petioli basi laxe vaginantes; folia omnia pinnata, pinnis oppositis multipartitis, segmentis alternis incisis linearibus; involucrum universale partialeque foliolum unicum setaceum, saepe nullum; flores flavescentes, petalis obcordatis inflexis; semina ovata vel elliptica, costis tribus elevatis. Ab Imp. Chabraei, (cujus forsan varietas,) differt praecipue forma foliorum.“ *Sehlmeyer in litt.*

## TRIGYNIA.

147. VIBURNUM. L. RS. 1225. P. 727. W. 567.

395. **V. Opulus.** L. RS. 22. P. 19. W. 16.
♄. 5, 6. In umbrosis humidis ubique. Varietas β, V. Op. roseum (vulgo *Schneeballen*), nonnisi culta occurrit.

148. SAMBUCUS. L. RS. 1226. P. 729. W. 569.

396. **S. Ebulus.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.
♃. 6—8. Ad sepes, in agris, versuris, passim nimis frequens: *Billerbeck*, N.! *Darup!* ad ripas *Rheni!* alibique. — Herbacea; cymae tripartitae; flores pallide carnei, antheris rubris.

397. **S. nigra.** L. RS. 2. P. 2. W. 3.
♄. 6, 7. In sylvaticis, dumetis ubique. — (*Flieder.*)

398. **S. racemosa.** L. RS. 4. P. 5. W. 5.
♄. 5—7. In sylvaticis nemorosis, solo praecipue calcareo rarior: *Hiddingsel in Berenbroeks Busch*, N.; *Beckum! Stromberg!* — Flores flavo virentes, paniculati, panicula ovata racemiformi; baccae coccineae.

149. STAPHYLEA. L. RS. 1235. P. 731. W. 571.

399. **S. pinnata.** L. RS. 1. P. 2. W. 2.
♄. 5, 6. In sylvaticis calcareis rarior: *Nienberge! Handorf* ad ripas fl. *Werse*, W. — Arbuscula Fraxini facie; racemi penduli; flores luteoli; capsulae inflatae, membranaceae, semina nuciformia tegentes.

150. CORRIGIOLA. L. RS. 1244. P. 738. W. 578.

400. **C. littoralis.** L. RS. 1. P. 2. W. 1.

☉. 6—8. In viis, pascuis arenosis, ad ripas passim haud rara. — Planta habitu Polygoni avicularis, glaucescens. Flores albi, exigui, glomerati, calycibus apice purpureis.

151. DROSERA. L. RS. 1263. P. 751. W. 592.

401. D. rotundifolia. L. RS. 4. P. 2. W. 2.

♃. 6—8. In turfosis ubique copiose. — Scapus elongatus; folia subrotunda, apice retusa; pistilla plerumque tria, profunde bifida, stigmatibus cuneatis; semina oblonga, glabra.

402. D. longifolia. L. RS. 5. P. 3. W. 5.

♃. 7, 8. Cum priori vulgaris. — Scapus adscendens, folia vix superans; folia oblongo-obovata, apice obtusa; pistilla plerumque tria, profunde bifida, stigmatibus emarginatis; semina papillosa, ovata. Hujus legimus varietatem scapo unifloro, flore solito quadruplo majore, calycibus amplis, foliaceis, glandulis stipitatis in modum foliorum obsitis.

403. D. anglica. *Hudson.* RS. 6. P. 4.

♃. 7, 8. Iisdem cum prioribus locis, haud rara. — Scapus folia multum superans; folia spathulato-lanceolata; racemi simplices; pistilla 4—5, profunde bifida, stigmatibus cuneatis; semina glabra, apice mucronata.

## TETRAGYNIA.

152. PARNASSIA. L. RS. 1251. P. 745. W. 585.

404. P. palustris. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

♃. 7, 8. In pascuis humidis ericetosis ubique. — Flores speciosi, albi.

## PENTAGYNIA.

153. LINUM. L. RS. 1260. P. 749. W. 590.

405. L. usitatissimum. L. RS. 1. P. 1. W. 1.

*α. vulgare*, capsulis post maturitatem clausis.

*β. crepitans*, *Nobis*, capsulis maturis cum strepitu sponte dehiscentibus.

☉. 5—7. Colitur ubique copiose, praesertim *α*, rarius *β*, nec non spontaneum inter segetes fere ubique. — Agricultoribus varietas *β*, *Klanglein* illis audita, jam dudum a priore, quam *Dröschlein* nuncupant, distincta fuit. Utraque ex seminibus immutata provenit, atque *β* praeter differentias jam allatas constanter in eodem solo differt caulibus brevioribus, validioribus, ramosioribus; foliis, floribus capsulisque majoribus; seminibus citius maturescentibus, pallidioribus. Haec sufficiant ad commendendas hasce plantas ulteriori magistrorum examinationi.

406. L. catharticum. L. RS. 46. P. 33. W. 26.

☉. 6—8. In arvis, pascuis, sylvaticis ubique. — Herba tenera, glabra; folia minuta, opposita; flores ante anthesin nutantes, parvi, petalis albis, basi flavescentibus.

CLASSIS VI.

# HEXANDRIA.

## MONOGYNIA.

---

### 154. GALANTHUS. L. P. 776. W. 612.

407. **G. nivalis.** L. P. 1. W. 1.

♃. 2, 3. In dumetis subhumidis, pomariis: *Darup hinter dem Schulzenhofe! Coesfeld auf dem Brink! Havixbeck!* alibique. — Flos solitarius, nutans, niveus; petala interiora breviora apice viridi-maculata, emarginata.

### 155. LEUCOJUM. L. P. 777. W. 613.

408. **L. vernum.** L. P. 1. W. 1.

♃. 2—4. In humidiusculis: *Havixbeck* prope villam copiose! spontaneum, sed vix indigena. — Spatha uniflora; flos nutans, niveus, petalis exterioribus majoribus, apice virescenti-maculatis.

409. **L. æstivum.** L. P. 2. W. 2.

♃. 5, 6. In pratis humidis: *Sassenberg*, Nic. — Spatha multiflora; flores nutantes nivei, petalis apice viridi-maculatis.

### 156. NARCISSUS. L. P. 780. W. 616.

410. **N. poeticus.** L. P. 1. W. 1.

♃. 5. In pomariis, ad sepes ita frequens, ut fere pro indigena haberi possit. — Flos niveus; nectarium abbreviatum margine crenulato sanguineo.

411. N. Pseudonarcissus. L. P. 4. W. 3.

♃. 4, 5. Ad margines fossarum, in pomariis passim, nec non in prato pagi *Bentlage* prope *Rheine*, M. — Flos pallide flavus, nectario aureo, elongato, margine crenato. Variat in hortis rusticorum flore pleno.

### 157. ALLIUM. L. P. 790. W. 626.

412. A. carinatum. L. P. 19. W. 17.

♃. 6—8. In versuris, arvis et agris: *Nienberge*, H.!; *auf der Beerlage*! — Spatha diphylla, longissima, inaequalis; umbella globosa; pedunculi fere unciales, bulbis interstincti; flores rubentes, (ochroleucos Smithius laudat), carina virente.

413. A. vineale. L. P. 30. W. 26.

♃. 6, 7. In agris, inter segetes, solo argilloso, passim vitium nimis frequens. — Flores pauci inter bulbillos, parvi, carnei; stamina tria apice trifida.

414. A. oleraceum. L. P. 31. W. 27.

♃. 7, 8. In siccis graminosis: *Coesfeld auf der Zitadelle* dextrorsum! rarius. — Flores pauci inter bulbillos; spatha diphylla, foliolis basi ventricosis, apice attenuatis, elongatis; petala viridia, lineis tribus purpurascentibus; stamina omnia simplicia; folia fistulosa, superne complanato-canaliculata, subtus convexa, utrinque scabriuscula.

415. A. Schœnoprasum. L. P. 53. W. 47.

♃. 6, 7. Colitur copiose in hortis rusticorum, unde saepe cum quisquiliis ejectum ceu spontaneum occurrit ad sepes, vias. — *(Schnittlauch)*. — Caeterae hujus generis species cultae nunquam, quantum scimus, spontaneae sunt observatae.

158. OPHIOSCORODON. *Wallroth.*

416. **O. ursinum.** *Wallroth.*

Allium ursinum. L. P. 790, 46. W. 626, 40.

♃. 5, 6. In umbrosis, solo calcareo, non minus in humidis quam in siccis, haud infrequens. — Planta capsulis trispermis, valvis septo destitutis, optimo jure ab Allii genere videtur separata. Umbella multiflora, bulbis destituta; flores nivei; folia omnia radicalia in siccis subovata, locis humidiusculis autem angustiora, minora.

159. FRITILLARIA. L. P. 792. W. 628.

417. **F. Meleagris.** L. P. 4. W. 5.

♃. 4, 5. In pratis et pascuis humidis: *prope Steinfurth*, M.; *Sassenberg*, Nic.; copiose. — Flos solitarius, terminalis, cernuus, speciosus, purpureo-tesselatus. Variat floribus albis. Certe stirps indigena.

160. ORNITHOGALUM. L. P. 803. W. 639.

418. **O. spathaceum.** *Hayne.* P. 5. W. 4.

♃. 4, 5. In nemorosis humidiusculis: *am Fusse des Teutoburger Waldes*, non rarum. — Scapus subteres; umbella pedunculata subtriflora, floribus flavescentibus, folio lanceolato spathæformi suffultis; bulbus verticalis, aggregatus, tunicatus, tunica plerumque lacera, fuscescente.

419. **O. luteum.** L. P. 7*β*. W. 6*β*.

♃. 4, 5. In umbrosis, dumetis: *Dülmen*, N.!; *Darup am Sudfelde*! atque pluribus procul dubio locis. — Bulbus simplex, aggregatus, verticalis, tunicatus, tunica plerumque integra, pallida; scapus spithamæus,

triqueter, folio radicali solitario brevior; flores e viridi flavescentes.

420. O. pratense. *Pers. in Uster. Ann.*

O. luteum (pratense) L. P. 7. W. 6.

♃. 4, 5. In agris et arvis sabulosis; inter *Wiedenbrück* et *Rheda! Münster vor Ægidii Thor bei der Sægemühle!* — Bulbi tres horizontales, inæquales, (sæpe quarti jam emarcidi tunica adhuc adest), quorum major scapum foliumque fert, e latere ejus erumpentes, intermedius sequente anno florifer, minimus nova anni currentis proles; scapus angulatus; folium radicale unicum, carinato-canaliculatum; flores sæpius duo, intus lutei, extus virescentes, bracteis tribus inæqualibus suffulti.

421. O. arvense. *Pers.* l. l.

O. minimum. *autorum.* (non L.) P. 8.

♃. 4, 5. In agris, arvis arenosis: *Dülmen im Wiedeler*, N.!; *Werne bei der Fähre! Lippstadt!* — Facile dignoscitur a præcedentibus scapo humiliore, multifloro; involucris, pedunculis, petalis germinibusque pubescentibus. Variat scapo bulbifero.

422. O. umbellatum. L. P. 13. W. 11.

♃. 5, 6. In agris, inter segetes, solo lutoso, passim frequens. — Pedunculi corymbosi, nec umbellati; flores candidi, petalis dorso viridibus, elliptico-lanceolatis.

## 161. SCILLA. L. P. 804. W. 640.

423. S. nutans. *Smith.*

Hyacinthus non scriptus. L. P. 828, 1. W. 652, 1.

♃. 5, 6. In nemorosis umbrosis: *Coesfeld* in ne-

musculo *hinter dem Bauland,* unico loco! — Scapus pedalis; racemus terminalis, multiflorus; flores cernui, coerulei, petalis conniventibus, at distinctis, (ergo non Hyacinthus), apice reflexo-patentibus. An haec, quae in Brittannia vulgaris, revera sit indigena, dubitamus.

162. PHALANGIUM. *Poiret.* P. 807.

424. **P. Liliago.** *Pers.* P. 40.

Anthericum Liliago. L. W. 643, 30.

♃. 5—8. In sylvaticis nemorosis: prope *Brackwede,* A. — Scapus simplicissimus; flores speciosi, albidi; pistillum declinatum.

425. **P. ramosum.** *Pers.* P. 19.

Anthericum ramosum. L. W. 643, 14.

♃. 5—8. Similibus cum priore locis: *Brackwede,* A. — Differt a priore scapo ramoso, floribus multo minoribus, pistillo recto. Folia in utroque radicalia, graminea.

163. NARTHECIUM. *Smith.* P. 809.

426. **N. ossifragum.** *Smith.* P. 1.

Anthericum ossifragum. L. W. 643, 52.

♃. 7, 8. In uliginosis et palustribus turfosis: *Ibbenbühren,* M.; *Seppenrader Torfmoor,* N.!; *Bentheim!* alibique copiose. — Caules adscendentes, simplices; folia ensiformia, equitantia; spica terminalis, multiflora, floribus flavis, extus virescentibus; capsula nitida, fulva.

164. ASPARAGUS. L. P. 812. W. 646.

427. **A. officinalis.** L. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. Spontaneus in pratis humidis: *Dülmen.* prope *Engsterstein,* N.; *Coesfeld an der Berkel!* ad

ripas *Rheni!* alibique non frequens. — *(Spargel)*. In planta culta flores semper dioici.

165. CONVALLARIA. L. P. 817. W. 649.

428. C. majalis. L. P. 1. W. 1.

♃. 4, 5. In sylvaticis umbrosis, dumetis, praecipue locis sabulosis satis frequens. — Flores racemosi, albi, campanulati, odorati.

429. C. verticillata. L. P. 4. W. 4.

♃. 6. In sylvaticis montosis: *im Teutoburger Walde* passim, ast rarior. — Caules erecti; folia verticillata, saepius quaterna, anguste lanceolata; flores penduli axillares, lactei, apice virides, cylindrici.

430. C. Polygonatum. L. P. 5. W. 5.

♃. 5, 6. In umbrosis rara: *Bielefeld* versus *Uehrendorf* et in monte *Altenberg*, A.; *Halle! Dissen!* — Differt a sequente, quacum saepe confunditur, caule angulato-ancipite, pedunculis subunifloris, floribus majoribus, medio ochroleucis, fragrantibus, staminibusque longioribus.

431. C. multiflora. L. P. 6. W. 6.

♃. 5, 6. In nemorosis, dumetis ubique. — In hac et praecedente radix repens, crassa, carnosa, articulata. Variat foliis latioribus et angustioribus.

166. MUSCARI. *Willden. En.*

432. M. botryoides. *Willden.*
Hyacinthus botryoides. L. P. 828, 13. W. 652, 12.

♃. 4, 5. Ad sepes, in dumetis: *Coesfeld am Walle!* atque ibidem ad viam, qua itur *nach dem Brink!* — Flores subglobosi, azurei, in racemum densum congesti.

### 167. ACORUS L. P. 839. W. 663.

433. A. Calamus. L. P. 1. W. i.

♃. 6, 7. In fossis, piscinis vulgaris. — Spadix solitarius, e folii sulco laterali erumpens, floribus tesselato-congestis, capsulis semper sterilibus.

### 168. JUNCUS. L. P. 846. W. 670.

434. J. communis. *Meyer. (Synops. Junc.)*

*α. J. conglomeratus.* L. P. 3. W. 2.

*β. J. subglomeratus. Decand.*

*γ. J. effusus.* L. P. 4. W. 3.

♃. 6, 7. In pratis, pascuis et sylvaticis praecipue sabulosis ubique copiose. — Scapus laevis, viridis; perianthii laciniae lancoolatae, acuminatae; stamina tria, non sex; capsula obovata retusa. Differentia inter varietates notatas, quas olim specie distinxerunt autores, praecipue in longitudine variabili pedicellorum consistit, quam vero nullo modo constantem esse, ubique locorum experientia docet.

435. J. glaucus. *Ehrhart.* P. 5. W. 4.

*α. subglomeratus. Nobis.*

*β. effusus. Nobis.*

♃. 6, 7. In pascuis, pratis, versuris, ad scaturigines, praesertim solo argillaceo et calcareo ubique. — Scapus striatus, glaucus; perianthii laciniae anguste lanceolatae, acuminatae; stamina sex; capsula elliptica, obtusa, mucronata.

436. J. filiformis. L. P. 9. W. 7.

♃. 6, 7. In pratis et pascuis uliginosis, præcipue ferrugineo-turfosis: *Rheine*, M.; *Coesfeld! Velen!*

*Bentheim!* — Scapus debilis, pallidus; anthela pauciflora, infra medium culmi; perianthii laciniæ lanceolatae acutæ, longitudine capsulæ subglobosæ, obtusæ, pallidæ. — Variat in pascuis sabuloso-turfosis scapis brevioribus, rigidioribus, anthelam altius gerentibus, capsulis subhexagonis.

437. J. obtusiflorus. *Ehrhart.*

J. articulatus α L. W. 18α. J. aquaticus. *Roth.* P. 24.

♃. 6, 7. In fossis uliginosis, præcipue salsis, rarior: *Warendorf*, W.; *Dissen!* — Folia caulina sæpius duo, nodulosa, stricta; anthela supradecomposita, divaricata; perianthii laciniæ pallidæ, obtusæ, capsulam triquetro-ovatam acutam subæquantes.

438. J. fusco-ater. *Schreber.*

♃. 6, 7. In paludosis, ad margines fossarum, solo præcipue sabuloso haud infrequens, nec non ad ripas *Rheni!* — Caules saepe plures erecti; folia caulina tereti-compressa, nodulosa; perianthii laciniae subaequales, obtusae, capsula elliptica obtusa mucronulata breviores. Variat magnitudine, atque anthela plus minusve composita.

439. J. lampocarpus. *Ehrhart.*

♃. 6—8. In pascuis et ambarvalibus humidis, praesertim argillosis, vulgaris. — Caules plerumque adscendentes, interdum prostrati et radicantes; folia caulina tereti-compressa, nodulosa; perianthii laciniae subaequales, lanceolati, exteriores acutae, interiores obtusae, capsula triquetro-ovata, acuta, mucronata, breviores.

440. J. acutiflorus. *Ehrhart.*

J. sylvaticus. *Roth.* P. 25. W. 19.

*β. multiflorus. Weihe.*

♃. 6—8. In pratis, palustribus ubique vulgatissimus; β rarior cum priore prope *Darup!* et *Bentheim hinter dem Walde!* — Caulis erectus; folia caulina remota, nodulosa, tereti-compressa, stricta; anthela supradecomposita, glomerulis in β multifloris subhemisphaericis; perianthii laciniae acuminatae, interiores sublongiores, capsula triquetra acuminato-rostrata breviores. Variat insuper anthela plus minusve divaricata, florumque glomerulis plus minusve approximatis. Varietas β non immerito forsan propriam speciem constituere posset.

441. J. uliginosus. *Roth.*

*α. J. subverticillatus. Wulf.* W. 20.

J. verticillatus. *Pers.* P. 26.

*β. J. supinus. Mœnch.* P. 26γ. W. 20β.

*γ. J. fluitans. Lamarck.* P. 26β.

♃. 7—9. Locis uliginosis turfosis ubique; β in exsiccatis; γ in ipsa aqua. — Caules filiformes, in α caespitosi diffusi, in β breviores, suberecti, in γ longissimi, fluitantes; flores nunc conferti, nunc in γ subsolitarii; perianthii laciniae subaequales, acuti, capsula oblonga obtusa subuniloculari breviores; stamina tria, dimidii perianthii longitudine.

442. J. capitatus. *Weigel.* W. 14.

☉. 6, 7. In pascuis, ericetis humidiusculis, nec non in agris et arvis lutosis frequens. — Scapus erectus, digitalis; folia subsetacea, stricta; anthela capitulis subcomposita, perianthii laciniae exteriores acuminatae, interiores breviores acutae, capsulam ovatam acutam trilocularem superantes. Variat capitulis binis, altero sessili, altero longius pedunculato.

443. J. bufonius. L. P. 34. W. 24.

⊙. 6—8. In agris, arvis, pascuis humidis nimis frequens. — Plerumque erectus, interdum procumbens, varia magnitudine; flores distantes, solitarii; perianthii laciniae lanceolatae, acuminatae, exteriores longiores, capsulam oblongam obtusam superantes.

444. J. Tenageja. *Ehrhart.* P. 28. W. 21.

⊙. 6—8. In ericetis humidis, praecipue turfosis, frequens. — Caulis superne ramosus, gracilis; folia plana, angustissima; flores solitarii, distantes; perianthii laciniae ovatae, acutae, mucronatae, capsulam subglobosam parum superantes.

445. J. bulbosus. L. P. 30. W. 22.

♃. 6, 7. In pratis, pascuis humidiusculis vulgaris. — Caulis erectus, compressus; folia canaliculata; anthela suberecta; perianthii laciniae obtusae, interiores subbreviores, dimidiam capsulam subglobosam vix superantes; stylus brevis.

446. J. bottnicus. *Wahlenberg.*

♃. 6, 7. In pratis humidis, praecipue salsis: prope *Rheine! Dissen!* extra fines copiose prope *Salzkotten! Westernkotten! Werl!* et *Unna!* — Praecedenti simillimus, differt vero, praeter colorem omnium partium obscuriorem haud mutabilem, scapo teretiusculo, anthela erecta, perianthii laciniis interioribus sublongioribus, capsulam ovatam obtusam fere aequantibus, styloque elongato.

447. J. squarrosus. L. P. 16. W. 13.

♃. 6—8. In ericetis turfosis ubique abundanter. — Folia radicalia rigida, cæspitem densum formantia; scapus angulosus, strictus; anthela composita; perianthii laciniæ ovato-lanceolatæ, acutæ, capsulam obovatam obtusatam æquantes.

## 169. LUZULA. *Decandolle.*

448. **L. maxima.** *Decand.*

Juncus maximus. *Ehrhart.* P. 846, 43. W. 670, 31.

♃. 5, 6. In sylvaticis montosis prope *Tecklenburg*, B. — Facies L. vernalis, at omnibus partibus exceptis floribus multo major, differtque præterea perianthii laciniis mucronatis, interioribus longioribus, capsulam triquetro-ellipticam æquantibus; floribus minoribus, congestis, plerumque ternis.

449. **L. vernalis.** *Decand.*

Juncus pilosus. L. P. 846, 42. W. 670, 30.

♃. 3, 4. In sylvaticis, pascuis siccis ubique. — Perianthii laciniæ acutæ, æquales, capsula trigono-ovata breviores; folia pilosa.

450. **L. albida.** *Decand.*

Juncus albidus. *Hoffmann.* P. 846, 49. W. 670, 36.

♃. 6, 7. In sylvaticis nemorosis: prope *Bielefeld*, A.; *Iburg!* — Culmus bipedalis et ultra; anthela albida; perianthii laciniae acutæ, exteriores mucronulatæ, interiores longiores muticæ, capsulam triquetro-ellipticam rostratam superantes.

451. **L. campestris.** *Decand.*

Juncus campestris. L. P. 846, 51. W. 670, 38.

♃. 5, 6. In pascuis siccis atque in sylvaticis frequens. — Radix repens; anthela composita, spica una alterave intermedia sessili; capsula perianthio subbrevior.

452. **L. multiflora.** *Lejeune.*

Juncus erectus. *Pers.* P. 846, 54.

β. *Juncus pallescens.* *Wahlenberg.*

♃. 6—8. In sylvaticis nemorosis frequens; β prope *Coesfeld im Nonnenbusche!* — A præcedente, cui iterum a cl. *Meyer* ceu varietas subscripta, differt, monente cl. *Decandolle* : radice fibrosa, culmis foliisque semper majoribus, spicis omnibus pedicellatis, valvulis capsulæ perigonium superantis acutioribus, temporeque denique florendi multo seriore. In β perianthium flavescens, nervo dorsali fulvo, capsulæ flavo-virescentes.

### 170. BERBERIS. L. P. 851. W. 677.

453. B. vulgaris. L. P. 1. W. 1.

♄ 5, 6. In dumetis passim, haud ita frequens. — — Foliorum fasciculi spina trifida suffulti; racemi penduli; flores flavi, ingrati odoris; baccæ miniatæ, acidæ. Æcidium Berberidis cerealibus esse infestum, atque ex polline ejus Uredinem linearem graminum provenire, consecuto per triennium experimento nobis compertum est.

### 171. PEPLIS. L. P. 869. W. 691.

454. P. Portula. L. P. 1. W. 1.

☉. 6—8. In palustribus, fossis et locis humidis ubique. — Caules aut in aqua natantes, aut in exsiccatis radicantes; flores axillares, solitarii; folia obovato-cuneata, opposita.

## T R I G Y N I A.

### 172. RUMEX. L. P. 876. W. 699.

455. R. conglomeratus. *Schreber.* *(Roth. Leers.)*
R. Nemolapathum. *autor.* P. 9. W. 8. *(nec Ehrh.)*

♃. 6, 7; In nemorosis humidis, fossis, ad sepes ubique frequens. — A congeneribus facile discernitur verticillis florum remotioribus, omnibus fere folio lanceolato patente suffultis. Valvulae insuper parvae, oblongae, obtusae, integerrimae, omnes callo (grano) onustae. Huic potissimum respondet descriptio cl. *Smith* de R. acuto Linnaei.

456. R. Nemolapathum. *Ehrhart.*

♃. 6, 7. In nemorosis, ad fossas, passim haud infrequens. — Verticilli dimidiati, remoti, inferiores tantum folio suffulti; valvulae lineari-oblongae, unica paulum majore callo notata, reliquis costa elevata. R. nemorosum *Schrader* ab hoc discernere nequimus.

457. R. cristatus. *Wallroth.*

♃. 6, 7. In dumetis humidis, ad sepes: prope *Darup! Coesfeld!* pluribusque forsan locis, cum sequente, cujus sub nomine etiam in Herbario nostro latebat, confusus. — Facile autem dignoscitur valvulis inaequalibus, nervoso-reticulatis, cristatis, quarum exterior maxima, basi dilatata, subquadrata, ex nervis inciso-dentata, apice integerrima, interiores vero complicatae, oblongae, plerumque minores atque parcius dentatae, foliisque radicalibus oblongo-lanceolatis, acuminatis. Cum R. crispo commutari nequit.

458. R. obtusifolius. L. P. 18. W. 15.

♃. 6. In pratis, pascuis humidis ubique. — Racemi elongati, acuti; verticilli multiflori, fere omnes aphylli; pedicelli infra medium geniculati; valvulae triangulares, margine spinulis 3—5, duae obsolete callosae; callus ovatus, apice in costam excurrens.

459. R. maritimus. L. P. 13. W. 12.

♃. 7, 8. In paludosis, ad ripas: *Werne*, N.!;

*Rietberg!* — Valvulis apice integerrimis, omnibus callosis, nervoso-reticulatis, nervis in dentes valvula longiores setaceos excurrentibus, foliisque lanceolato-linearibus, a congeneribus facile discernendus. Planta ceterum magnitudine valde variabili, ad ripas saepe 3—4pedalis, in pascuis sterilibus vix spithamaea, caule simplicissimo.

460. R. palustris. *Smith.* P. 14.

*β. nanus*, *Nobis.*

♃. 7, 8. In paludosis, ad fossas; β in pascuis humidis sterilioribus: prope *Dissen!* — A praecedente proximo differt: panicula plerumque ramosiore; florum verticillis minus approximatis, distinctis; valvularum callo majore, dentibus autem duplo brevioribus. Varietas β gaudet caule vix digitali, simplicissimo, flexuoso, ochreis membranaceis intra foliorum axillas vestito; fructum ejus maturum nondum vidimus.

461. R. crispus. L. P. 8. W. 7.

♃. 6, 7. In ruderatis, pascuis, agris, ad sepes vulgaris. — Folia angusta, undulato-crispa; racemi obtusi subaphylli; valvulae subrotundo-ovatae, basi subcordatae, margine integrae vel leviter crenulatae, omnes plerumque callo ovato inscriptae.

462. R. Hydrolapathum. *Hudson.* P. 7. W. 6.

♃. 7. Ad piscinas profundas fluviorumque ripas. — Caulis 4—6pedalis; folia, ut in sequente, subtus glaucescentia, siccitate nigro-fuscescentia, acuta; verticilli approximati multiflori; pedicelli apice subtriangulares, incrassati; valvulae ovato-triangulares, cartilagineae, integrae, omnes callo oblongo maximo onustae. Hic secundum *Wahlenberg* pertinet ad R. acutum Linnaei.

463. R. aquaticus. L. P. 21. W. 18.

♃. 7. Lois aquosis, ad ripas passim. — Differt a priore, cui valde similis, foliis basi cordatis, cucullatis, latioribus; verticillis distinctis; pedicellis inaequalibus, nutantibus; valvulis in apicem obtusum brevem productis, maturitate membranaceo-scariosis, omnibus callo destitutis, costa leviter ejus loco prominente.

464. R. Acetosa. L. P. 37. W. 31.

β. R. *intermedius*. *Decandolle.*

♃. 5—7. In pascuis, agris, ad sepes vulgaris; β locis siccioribus. — Flores dioici; folia sagittata; caulina in β linearia, basi hastata, hamis patentissimis.

465. R. Acetosella. L. P. 35. W. 32.

♃. 5—9. In agris, arvis et pascuis arenosis copiose. — Praecedente minor, gracilior, saepe rubescens; flores dioici; folia hastata.

Obs. In herbario nostro exstant pauca specimina Rumicis, ad ripas fluv. *Stever* prope *Lüdinghausen* lecti, quem enumeratarum specierum nulli subscribere audemus. Habitu foliisque planta nostra potissimum accedit ad R. Acetosam, atque aeque ac illa dioecia est, cujus marem nondum vidimus. Differt autem abunde: radice horizontali, subrepente; foliis inferioribus longissime petiolatis, ovato-lanceolatis, basi sagittatis, laciniis conniventibus; caule flexuoso; praecipue vero floribus erectis; pedicellis duplo longioribus, 5—8nis; perigonio exteriore minore erecto, nec reflexo, interiore majore, foliolis oblongo-obovatis, achaenio subcuneiformi duplo brevioribus; stylis binis et ternis in eadem stirpe. Quod si haec monstrosa

sit varietas R. Acetosae, saltem memoratu digna videbatur.

173. TRIGLOCHIN. L. P. 879. W. 702.

466. T. palustre. L. P. 1. W. 1.

♂. ♃. 6—8. In pratis, pascuis humidis frequens. — Elateria tricocca, laevia.

467. T. maritimum. L. P. 6. W. 3.

♃. 6—8. In uliginosis salsis: *Gravenhorst*, M.; *Dissen!* rarius. — Statura validiore; elateria sexcocca, sulcata.

174. COLCHICUM. L. P. 886. W. 707.

468. C. autumnale. L. P. 1. W. 1.

♃. 9, 10. In pratis: *Dülmen*, N.!; *Rheine* in pago *Dutum*, (ubi jam evanuit) M.; *Billerbeck!* — Folia cum fructu vere profert, autumno floret aphyllum.

## POLYGYNIA.

175. ALISMA. L. P. 899. W. 711.

469. A. Plantago. L. P. 1. W. 1.

β. *angustifolia*. *Bauhin*. P. 1β. W. 1β.

♃. 6—8. Utraque in fossis, stagnantibus et ad ripas vulgaris. — Varietas β distinguitur foliis utrinque attenuatis, basi decurrentibus, nec cordato-ovatis; in exsiccatis variat caule spithamaeo, foliis lineari-lanceolatis. Variat insuper eminenti modo magnitudine petalorum.

470. A. natans. L. P. 7. W. 8.

♃. 6—8. In fossis stagnantibus: *Lavesum*, atque *Dülmen*. N.!; *Rheine*, M.; copiose prope *Bentheim! Ohne! Ochtrup!* etc. — Herba facie Potamogetonis; flores solitarii; folia longius petiolata, elliptica, natantia.

471. A. ranunculoides. L. P. 8. W. 9.

♃. 6—8. In paludosis, aquis stagnantibus: *Dülmen im Neusträsser Bruche*, N.; *Rheine*, M.; *Coesfeld bei der Klye*! *Bentheim! Ochtrup!* — Flores verticillato-umbellati; folia erecta, lineari-lanceolata.

CLASSIS VII.

# H E P T A N D R I A.

## M O N O G Y N I A.

---

### 176. TRIENTALIS. L. P. 900. W. 712.

472. T. europæa. L. P. 1. W. 1.

♃. 5, 6. In montosis sterilioribus: prope *Lengerich*, M.; *auf dem rauhen Borkenberge* prope *Halteren*, N.! — Flores pulchelli, nivei, 1—3; stamina numero variabili, saepius septem, antheris purpureis; caulis basi nudus, superne foliis 7—8 approximatis, lanceolatis, instructus.

### 177. AESCULUS. L. P. 906. W. 717.

473. A. Hippocastanum. L. P. 1. W. 1.

♄. 5, 6. Advena ex *Asia*, nunc fere ubique inquilina facta, arbor speciosissima. — (*Rosskastanie.*)

### 178. CALLA. L. W. 721.

474. C. palustris. L. W. 2.

♃. 6—8. In uliginosis turfosis haud rara. — Folia subcordata, acuminata; spadix terminalis, spatha late ovata, intus nivea, extus virescente involucratus; baccae scarlatinae. — (Genus hoc in Persoonii synopsi desideratur.)

---

## CLASSIS VIII.

# O C T A N D R I A.

## M O N O G Y N I A.

---

### 179. OENOTHERA. L. P. 919. W. 730.

475. **O. biennis.** L. P. 1. W. 1.

♂. 6—8. E *Virginia* 1614 advecta, nunc frequenter spontanea ad ripas, vias, praecipue solo sabuloso. — Flores ephemeri, sulphurei, vespere expansi, suaveolentes. Secundum *Decandolle* haec planta in palustribus Galliae habitat; in agro nostro eam nonnisi in siccis vidimus.

### 180. EPILOBIUM. L. P. 921. W. 732.

476. **E. angustifolium.** L. W. 1.

E. spicatum. *Lamarck.* P. 1.

♃. 6—8. In sylvis caeduis, dumetis vulgare. — Caulis saepe orgyalis et ultra; flores racemosi, speciosi, lilacino-violacei, staminibus declinatis. Variat subinde foliis latioribus.

477. **E. hirsutum.** L. P. 4. W. 4.

♃. 7, 8. Ad margines fossarum, ripas, frequens. — Flores omnium maximi, axillares, dilute purpurei; planta omnibus partibus molliter villosa.

478. **E. pubescens.** *Roth.* P. 5. W. 5.

♃. 7, 8. Similibus cum priori locis, haud rarum. — Flores quam in praecedente quadruplo minores, subracemosi.

479. **E. montanum.** L. P. 7. W. 7.

♂. ♃. 6—9. In ruderatis, muris, ac sylvaticis ubique. — Folia ovata, omnia plerumque sessilia; petala calyce duplo fere longiora, apice bifida; stigma quadripartitum.

480. **E. roseum.** *Roth.* P. 8.

E. montanum γ. *Willd.* W. 7γ.

♃. 7, 8. In umbrosis humidis: *Rheine,* M.; *Darup im Rorupper Holze! Ochtrup! Steinfurth!* rarius. — Planta cum praecedente, cui similis, saepius confusa, rite vero ab illa distincta: foliis inferioribus petiolatis, ovato-lanceolatis, caule lineato, petalis emarginatis, nec bifidis, calycem sub-aequantibus, stigmate clavato indiviso.

481. **E. tetragonum.** L. P. 12. W. 10.

♃. 7, 8. In pascuis irriguis montosis rarius: *Darup! Baumberg! Bielefeld,* A. — Folia lanceolata, denticulata, erecta, utrinque tenuiter decurrentia, unde caulis tetragonus evadit.

482. **E. palustre.** L. P. 13. W. 11.

♃. 7, 8. In fossis, palustribus: *Dälmen,* N.; *Darup am Höveler Felde* copiose! alibique non adeo rarum. — Folia lineari-lanceolata, semiamplexicaulia; caulis teres.

## 181. SCHOLLERA. *Roth.*

483. **S. Oxycoccos.** *Roth.*

Vaccinium Oxycoccos. L. W. 768, 25.

Oxycoccos palustris. *Pers.* P. 961, 1.

♄. 5—8. In turfosis spongiosis ubique. — Caules filiformes, repentes; folia parva, ovata, subtus

glauca; flores rosei, ad basin usque quadrifidi. Variat fructibus adultis depresso-globosis atque oblongo-ovatis, nec non undique purpurascentibus punctis saturatioribus pictis atque albidis hinc pulcherrime roseis, impunctatis. Fracidas baccas in deliciis habemus.

### 182. CALLUNA. *Salisbury.*

484. **C. vulgaris.** *Salisbury.*

Erica vulgaris. L. P. 963, 46. W. 770, 43.

♄. 8, 9. In ericetis vulgatissima; in turfosis siccioribus sæpe tripedalis et ultra. Variat floribus carneis et albis.

### 183. ERICA. L. P. 963. W. 770.

485. **E. Tetralix.** L. P. 34. W. 31.

♄. 7, 8. In ericetis humidis turfosis abundat. — Corolla elliptico-globosa, incarnata, interdum alba.

### 184. DAPHNE. L. P. 967. W. 773.

486. **D. Mezereum.** L. P. 1. W. 1.

♄. 2, 3; rarius iterum 11. In nemorosis sylvaticis: *Billerbeck*, N.! *Havixbeck!* non frequens. — Flores rosei; folia lanceolata glabra; baccæ rubræ. Variat rarius floribus albidis.

### 185. ACER. L. P. 951. W. 1892.

487. **A. Pseudoplatanus.** L. P. 2. W. 3.

♄. 5, 6. In nemoribus, sepibus passim: *am Baumberge bei Tilbeck! Wahrendorf! Stromberg!* — Racemi penduli, multiflori; flores virescentes; folia magna, quinqueloba. Certe stirps indigena. — Ceterum hæc arbor insigniter variat foliis subtus plus minusve villo-

sis, eorum lobis obtusissimis atque acuminatis, floribus majoribus et minoribus, pedunculis glaberrimis atque apicem versus incano-tomentosis. Forsan plures sub hoc titulo latent species.

488. A. campestre. L. P. 14. W. 17.

*α. vulgare*, fructibus foliisque glabriusculis.

*β. pubescens*, *Nobis*, fructibus foliisque praecipue subtus pubescentibus.

*γ. suberosum*, *Nobis*, cortice suberoso.

♄. 5. Ubique in sylvaticis et dumetis, præsertim calcareis abundat. — Racemi erecti, fructiferi demum penduli; folia minora, quinqueloba. Stirps insuper valde varians foliorum forma, nunc leviter lobata, nunc fere pinnatisecta gerens, æque ac alis fructus plus minusve divergentibus.

Obs. A. dasycarpum *Ehrh.*, A. platanoides L. et A. Negundo L. non pro inquilinis habenda, nonnisi in ambulacris et hortis obvia, de consulto reponuntur.

## T R I G Y N I A.

### 186. POLYGONUM. L. P. 977. W. 785.

489. P. lapathifolium. L. P. 14. W. 6.

*β. P. incanum. Schmidt.* W. 14.

P. Persicaria β incanum. P. 15β.

☉. 7—9. In agris humidis, inter segetes frequens; β solo sicciore. — Ochreae nudae; pedunculi scabri; flores albido-flavescentes. Folia varietatis β subtus incana, staturaque minor, gracilior; specie autem a priore distingui nequit, quod contra *De-*

*candolle* aliosque nunquam floribus rubentibus instructum vidimus.

490. P. Persicaria. L. P. 15. W. 13.

⊙. 7—9. Locis humidis vulgare. — Ochreae margine ciliatae; pedunculi glabri; flores rosei.

491. P. nodosum. *Pers.* P. 14*.

⊙. 7—9. Locis inundatis, ad ripas fluviorum fere ubique. — Praecedenti, quocum sæpe confunditur, simile, rite vero ab illo distinctum: caulibus elongatis, ad geniculos nodosis, ochreis nullis, foliis margine, petiolis pedunculisque scabris. Variat caule erecto et prostrato, nec non foliis ovatis maculatis atque lanceolatis immaculatis.

492. P. minus. *Aiton.* P. 16. W. 12.

⊙. 7, 8. In sylvaticis humidis, fossis, nec non in turfosis vulgare. — Differt a sequente proximo: sapore miti, nec acri; statura graciliore; caule basi radicante, nec erecto; foliis angustioribus, atro-viridibus, planis, oblitterate venosis, nervo subtus scabro; racemis erectis, neque nutantibus, neque apice attenuatis; staminibus denique plerumque quinque, nec sex.

493. P. Hydropiper. L. P. 18. W. 9.

⊙. 8, 9. Ad fossas, rivulos, locis humidis copiose. — Ochreæ ciliatæ; racemi spicati cernui; folia undata, plerumque immaculata, masticata acerrima.

494. P. amphibium. L. P. 17. W. 7.

*α. P. amph. aquaticum.*

*β. P. amph. terrestre.*

♃. 6, 7. Prius in aquis ubique; var. *β* in pratis et agris, præcipue lutosis, vitium interdum nimis fre-

quens. — Planta polymorpha: α glaberrima, nitida, foliis obtusis, basi obliquis, petiolis vagina longioribus; β vero hirsuta, foliis lanceolatis acuminatis, petiolis vagina brevioribus.

495. P. Bistorta. L. P. 12. W. 3.

♃. 5—7. In pratis, pascuis humidis passim. — Folia plurima radicalia in orbem disposita; caules simplices, erecti; racemus spicatus brevis; flores carnei.

496. P. aviculare. L. P. 5. W. 21.

☉. 6—9. In viis, agris ubique. — Habitu variabile, caule prostrato aut erectiusculo, foliis variis interdum subnullis. Flores octandri.

187. FAGOPYRUM. *Gærtner.*

497. F. tataricum. *Gærtner.*

Polygonum tatar. L. P. 977, 44. W. 785, 37.

☉. 7, 8. Inter segetes æstivales, præcipue cum sequente nimis copiose, a quo differt: floribus racemosis flavo-virentibus, fructu margine dentato atque defectu glandularum nectariferarum, quare ab apibus non visitatur.

498. F. esculentum. *Mænch.*

Polygonum Fagop. L. P. 977, 46. W. 785, 39.

☉. 7, 8. Colitur copiose in agris sabulosis, interdum inter segetes æstivales ceu spontaneum obvium. — Quæ in turfo combusto colitur varietas, distinguitur caule humiliore, fructibus nigris, valvulis convexis, nec planis.

499. F. carinatum. *Mœnch.*

Polygonum Convolvulus L. P. 977, 47. W. 785, 40.

⊙. 6—8. In agris, cultis, ad sepes vulgare. — Locis fertilioribus scandens, in sterilibus minus atque erectiusculum, totum sæpius rubescens.

500. **F. dumetorum.** *Schreber.*

Polygonum dumetorum. L. P. 977, 49. W. 785, 41.

⊙. 7, 8. In dumetis scandens, fere ubique. — Differt a præcedente calycis fructus carina membranacea.

## TETRAGYNIA.

### 188. PARIS. L. P. 990. W. 793.

501. **P. quadrifolia.** L. P. I. W. 1.

♃. 4, 5. In umbrosis sylvaticis, solo præcipue argilloso, vulgaris. — Folia verticillata quaterna, rarius terna aut quina; flos terminalis, virescens; bacca nigra.

### 189. ADOXA. L. P. 991. W. 794.

502. **A. Moschatellina.** L. P. 1. W. I.

♃. 4, 5. In dumetis humidiusculis ubique.— Flores in capitulum quinqueflorum dispositi, flavo-virescentes, terminalis octandrus, reliqui decandri, moschum redolentes.

### 190. ELATINE. L. P. 992. W. 795.

503. **E. Hydropiper.** L. P. 1. W. I.

⊙. 7—9. Ad margines stagnantium, locis inundatis: *Meer!* (inter *Anholt* et *Rees*); *Telgte in den Fürstenteichen?!* — Facies Montiæ fontanæ. Caules

teneri, cæspitosi, longe lateque repentes, cum foliis obovatis oppositis in siccis rubentes; flores axillares, rosei.

504. E. Alsinastrum. L. P. 2. W. 2.

⨀. 7—9. In fossis stagnantibus prope *Senden* occurrere dicitur, dubia civis, nobis non visa. — Facies fere Hippuridis; folia emersa verticillata, quaterna, ovata; flores axillares, solitarii, albi.

---

CLASSIS IX.

# ENNEANDRIA.

## HEXAGYNIA.

---

191. BUTOMUS. L. P. 1002. W. 804.

505. B. umbellatus. L. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. Ad ripas fluviorum vulgaris. — Planta omnium indigenarum facile pulcherrima. Scapus erectus, teres, 3—5pedalis; umbella terminalis, multiflora; flores rosei vel pallide purpurei.

---

## CLASSIS X.

# D E C A N D R I A.

## M O N O G Y N I A.

---

### 192. MONOTROPA. L. P. 1067. W. 854.

506. **M. Hypopitys.** L. P. 1. W. I.

♃. 7, 8. In pinetis et quercetis passim: prope *Halteren in der hohen Mark am Granatsberge! Darup im Borupper Holze!* — Sequente rarior.

507. **M. Hypophegea.** *Wallroth.*

♃. 7, 8. In faginetis umbrosis, haud adeo rara: *Dülmen*, N.! *Uehrendorf*, A.; *Darup bei der Capelle! Coesfeld!* alibique. — A præcedente, quacum hucusque confusa, differt præcipue: petalis eroso-laceris, nudiusculis, stigma subæquantibus, nec integris, intus margineque pilosis, stigma longe excedentibus; staminibus omnino glabris, nec patentim hirsutis; ovario subrotundo glaberrimo, nec ovato hirsuto; stylo breviore, obconico, glabro, nec apice subattenuato, piloso; stigmate angulato, nitido, aurantiaco, nec rotundo, villo albo cincto, citrino; capsula denique subrotunda, nuda, sulcata, nec ovato-oblonga, hirsuta, subcostata. — Neutram et nos parasiticam habemus.

Obs. Ledum palustre L. intra fines nostros, quantum constat, nondum repertum, non longe extra eos, versus *Meppen*, haud raro in turfosis occurrit.

### 193. PYROLA. L. P. 1094. W. 873.

508. **P. rotundifolia.** L. P. I. W. 1.

♃. 5, 6. In sylvaticis umbrosis: *Lengerich*, M.; *Dülmen* prope *Osthoff*, ubi nunc evanuit, N.; *Coesfeld im Nonnenbusche!* — In nostrate folia sæpe subovalia, ceterum planta descriptionibus omnino congrua.

509. **P. minor.** L. P. 3. W. 2.

♃. 5—7. Similibus cum priore locis, ast multo frequentior. — Flores quam in præcedente minores; stylus brevis rectus, nec ut in illa elongatus et declinatus.

### 194. ANDROMEDA. L. P. 1088. W. 868.

510. **A. polifolia.** L. P. 13. W. 13.

♄. 5—8. In turfosis ubique vulgaris. — Variat foliis latioribus planiusculis atque angustioribus margine revolutis.

### 195. VACCINIUM. L. P. 1086. W. 768.

511. **V. Myrtillus.** L. P. 1. W. 1.

♄. 5. In nemorosis sylvaticis ubique. — (*Heidelbeere.*)

512. **V. uliginosum.** L. P. 3. W. 5.

♄. 5. In turfosis frequens. — Præcedente procerius, glaucescens. Baccæ innocuæ.

513. **V. Vitis idæa.** L. P. 33. W. 24.

♄. 5—11. Locis turfoso-sabulosis ubique copiose, nec non in sylvaticis montosis rarius. — Occurrit varietas macrophylla in glareosis propè *Reken*, foliis exacte obovatis, pollicaribus, ramis dense villosis. Hanc stirpem apud nos in hyemem usque floribus fructibusque ornatam invenies.

# D I G Y N I A.

196. CHRYSOSPLENIUM. L. P. 1110. W. 886.

514. C. alternifolium. L. P. 1. W. 1.

♃. 4, 5. In umbrosis humidis, ad fossas vulgare. — Folia alterna; caulis trigonus.

515. C. oppositifolium. L. P. 2. W. 2.

♃. 4—6. Similibus locis, ac prior, ast rarius: *in der hohen Mark* prope *Deinken*, N.; *Notteln im Sittert* copiose! — Folia opposita; caulis tetragonus.

197. SAXIFRAGA. L. P. 1111. W. 887.

516. S. granulata. L. P. 38. W. 30.

♃. 4—6. In pascuis sterilibus: *Dülmen* prope prædium *Engsterstein*, N.!; *Lengerich*, M. — Radix granulata; folia reniformia, lobata; flos speciosus albus.

517. S. Tridactylites. L. P. 53. W. 38.

☉. 4, 5. In siccis sterilibus et muris passim: copiose prope *Münster! Bielefeld!* ad ripas fluvii *Emse!* alibique. — Plantam, ut plurimum pallide virentem seu rubescentem, in solo turfoso atro-virentem, nec minus læte vigentem vidimus.

198. SCLERANTHUS. L. P. 1114. W. 890.

518. S. annuus. L. P. 1. W. 1.

☉. 6—9. In agris ubique abundat.

519. S. perennis. L. P. 2. W. 2.

*β. S. fallax. Nobis.*

♃. 6—10. In ericetis et ambarvalibus sabulosis non rarus. — Distinguitur a priori: calycibus obtusis, margine late albo-membranaceis, fructiferis con-

niventibus, foliis caulinis fasciculatis. Locis humidiusculis occurrit hujus varietas β, habitum Sc. annui mentiens, foliis oppositis, nec fasciculatis, floribus remotis, caulibus diffusis, flaccidis; essentialiter vero ab hoc nullo modo diversus.

199. GYPSOPHILA. L. P. 1115. W. 891.

520. G. muralis. L. P. 12. W. 11.

*β. G. serotina. Hayne.*

☉. 7—9. In pascuis et arvis passim: *Billerbeck*, N.! *Coesfeld! Münster! Rees!* alibique. — Planta magnitudine, habitu et foliis valde varians, ut G. serotina Haynii vix varietatis nomen mereatur.

200. SAPONARIA. L. P. 1116. W. 892.

521. S. officinalis. L. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. In pascuis subhumidis, ad ripas fluviorum frequens. — Varietatem flore pleno, passim in hortis cultam, spontaneam legit amic. N. prope *Dülmen bei dem Siechenhause.*

522. S. Vaccaria. L. P. 2. W. 2.

☉. 6—9. Inter segetes, præcipue solo argillaceo rarior: *Stromberg!* ad *Rhenum!* — Calix fructiferus ventricoso-ovatus, acutus, quinquangularis.

201. DIANTHUS. L. P. 1116, (b.) W. 893.

523. D. Armeria. L. P. 4. W. 5.

*β. nanus, Nobis.*

☉. 7, 8. In sylvaticis nemorosis, dumetis non rarus. — Caulis sæpius 3—4pedalis et ultra, multiflorus, ramosus; occurrit vero etiam varietas β nana,

caule vix biunciali, simplicissimo, unifloro, in pascuis sylvaticis sterilioribus, inter *Warendorf* et *Oelde!*

524. D. carthusianorum. L. P. 2. W. 2.

♃. 7, 8. In pascuis siccis ad ripas *Rheni* rarius! Flores subfasciculati, purpurei, petalis margine argute sinuato-dentatis.

525. D. prolifer. L. P. 7. W. 7.

♃. 7, 8. In pascuis siccis prope *Rees* et *Emmerich!* copiose. — Flores aggregati, membranaceo-involucrati, petalis exiguis, margine erosis.

526. D. arenarius. L. P. 31. W. 24.

♃. 7. In pascuis lapidosis: *Bielefeld bei der Steingrube* rarior, A. — A D. caryophyllo, in hortis culto, differt, — an satis? — caule humiliore, floribus albis, magis acute crenatis, ore circulo atro-purpureo.

527. D. deltoides. L. P. 24. W. 12.

♃. 6—9. In pascuis siccis arenosis fere ubique. — Variat foliis internodiis caulinis longioribus et brevioribus, nec non plus minusve glaucis.

## T R I G Y N I A.

### 202. CUCUBALUS. L. P. 1117. W. 894.

528. C. Behen. L. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. In agris, arvis et ambarvalibus, præcipue argilloso-calcareis, copiose. — Calyces inflati, elegantissime reticulato-venosai.

### 203. LYCHNANTHUS. *Gmelin.*

529. L. volubilis. *Gmelin.*

Cucubalus bacciferus. L. P. 1117, 8. Silene baccifera *Roth.* W. 895, 28.

♃. 7, 8. In dumetis prope *Rees!* frequentior inter *Wesel* et *Diersfort!* nec non prope Castellum *Blücher!* — Caulis scandens, ramis divaricatis; flores albi; calyces inflati, demum cernui; capsula baccata, globosa, nigra.

### 204. SILENE. L. P. 1118. W. 895.

530. S. anglica. L. P. 1. W. 1.

⊙. 7, 8. In agris: *Dülmen* prope *Osthoff!*, semel reperta. — Hirsuta, viscosa; flores axillares, solitarii, petalorum limbo exiguo, albido, emarginato, uno alterove sæpe integro; capsulæ ovatæ, pedunculis elongatis, inferioribus divaricato-reflexis; folia inferiora spathulata, obtusa, superiora lineari-lanceolata, acuta. Eandem e Flora Wetteraviae habemus nomine S. gallicæ inscriptam.

531. S. nutans. L. P. 10. W. 11.

♃. 6, 7. In pascuis et dumetis montosis calcareis prope *Beckum* et *Stromberg* rarior! — Petalorum limbi bipartiti, laciniis linearibus, albis; stamina 5 breviora, petalis adnata.

532. S. conica. L. P. 40. W. 21.

⊙. 5—7. In agris inter *Wesel* et *Rees* frequentem indicavit col. Præses *à Schlechtendal!* — Calyx conico-cylindricus, costis viridibus; flores rosei, petalis bifidis.

533. S. noctiflora. L. P. 48. W. 31.

⊙. 6—8. Inter segetes rarior: *Dülmen bei dem Ziegelofen*, N.! — Calyx piloso-viscidus, viridi-

costatus; flores carnei, nocte expansi et odorati, petalis semibifidis, albis.

534. S. Armeria. L. P. 70. W. 45.

⊙. 6—8. In ruderatis, pascuis sterilibus: *Wesel! Coesfeld! Münster!* alibique rarior, vix indigena. — Flores fastigiati, rosei, petalis rotundatis, calyce clavato.

Obs. S. quinquevulneram, repetita vice circa *Darup* et *Coesfeld* repertam, ceu aufugam ex hortis reponimus.

205. STELLARIA. L. P. 1119. W. 896.

535. S. nemorum. L. P. 1. W. 1.

♃. 5—7. In umbrosis subhumidis rarior: *Rheine*, M.; *Havixbeck! Oelde! Stromberg!* — Folia inferiora sæpius cordata, superiora ovata; petala alba, ad basin fere usque bipartita, laciniis ellipticis, divaricatis; pedunculi fructiferi reflexi.

536. S. Holostea. L. P. 9. W. 5.

♃. 4—6. In sylvaticis frondosis ubique vulgaris. — Folia rigida, acuminata; caules et pedunculi scabri.

537. S. graminea. L. P. 10. W. 6.

*β. apetala*, *Nobis.*

♃. 6—8. In umbrosis humidis et ad fossas frequens. — Folia vix scabra; caules et pedunculi læves. — Variat rarius floribus apetalis, calycibus ovatis conniventibus, cæterum nullo prorsus discrimine a priore diversa.

538. S. palustris. *Retz.* P. 11. W. 7.

♃. 6—7. In paludosis et uliginosis non rara. — Glaucescens, caule erecto, foliis lineari-lanceolatis

obtusiusculis, panicula pauciflora, petalis calyce duplo longioribus.

539. S. crassifolia. *Ehrhart.* P. 12. W. 8.

⊙. 6. In pratis uliginosis; copiose prope *Coesfeld an der Berkel* herauf! — Præcedentibus minor, lutescenti-glaucescens; flores minores, calycibus enerviis petalis vix brevioribus.

540. S. Alsine. *Hoffmann.* P. 13. W. 9.

⊙. 5, 6. Locis humidis, ad scaturigines, arborum radices putridas ubique. — Caules prostrati, radicantes; folia oblongo-lanceolata; petala calyce minora.

541. S. media. *Smith.*

Alsine media. L. RS. 1242, 1. P. 740, 1. W. 580, 1.

⊙. 3—11. In agris et cultis ubique, solume frtiliorem indicans.

542. S. aquatica. *Pers.* P. 2.

Cerastium aquaticum. L. W. 921, 16.

♃. 6, 8. Ad margines fossarum frequens. — Folia, præsertim superiora, omnium congenerum longe maxima. Planta Stellariis magis, quam Cerastiis affinis videtur, quamvis stylis 5 sit instructa.

206. ARENARIA. L. P. 1120. W. 897.

543. A. trinervia. L. P. 5. W. 5.

⊙. (♃?). 4—6. In nemorosis fere ubique. — Facies Stellariae; folia inferiora saepe 5nervia. Locis apricis rarius occurrit omnibus partibus sordide purpurascens.

544. A. serpyllifolia. L. P. 9. W. 9.

⊙. 5—7. In agris, arvis, muris, aggeribus ubique copiose.

545. **A. segetalis.** *Lamarck.*

Alsine segetalis. L. P. 740, 3. W. 580, 2.

☉. 6, 7. Inter segetes ad ripas *Rheni* prope *Rees* et *Emmerich* jam defloratam vidimus, neque vero illam veram esse dubitamus, quamvis ulterius investigandam putamus. — Folia subulata, subsecunda; stamina plerumque tria.

546. **A. tenuifolia.** L. P. 44. W. 26.

☉. 6—8. In agris et arvis rarior: prope *Billerbeck auf der Beerlage! Stromberg! Beckum!* — Caules plures adscendentes, validi, a basi ramosi; flores decandri; capsula matura calyce persistente longior. An ad hanc aut ad A. viscidulam *Thuill.* pertineat illa, quam nobis in muro montis *Sparenberg* prope *Bielefeld* indicavit amiciss. *Aschoff*, speciminibus non visis, ignoramus.

547. **A. rubra.** L. P. 49. W. 14.

☉. 6—8. In arvis et pascuis sabulosis vulgaris. — Sæpius omnino prostrata, in umbrosis vero plerumque suberecta.

548. **A. media.** L. P. 50. W. 15.

☉. 6—8. In humidis salsis: ad salinam prope *Rheine* copiose, M.! — Distinguitur a sequente seminibus membrana cinctis.

549. **A. marina.** *Smith.*

☉. 6—8. Similibus cum priori locis: copiose ad salinam prope *Dissen!* — De differentia specifica hujus et præcedentis plantæ multa nobis dubia supersunt. Quod nempe discriminis in caule, foliis, floribus atque calyce alii invenere, id nullo modo constans, nec semper fideliter rediens observavimus. Superest ergo seminum in A. media margo, quem vero

et nos, non minus ac alii aliunde, repetita vice prope *Unna* et *Dissen* invenimus in capsulis A. marinæ, semina marginata pauca cum pluribus immarginatis simul continentibus. Memorandum quoque venit, quod prope *Rheine* inter millia specimina ne unicum quidem A. marinæ, econtra vero prope *Dissen* et *Unna* nil nisi hanc observaverimus, exceptis paucis illis ambiguis, de quibus supra mentionem fecimus.

Obs. Arenariæ genus non immerito a recentioribus dissolvi videtur.

## PENTAGYNIA.

### 207. SEDUM. L. P. 1139. W. 913.

550. S. Telephium. L. P. 2. W. 2.

♃. 8. In dumetis vulgare. — Flores in nostratibus semper rosei aut purpurei, quos ad *Rhenum* omnes ochroleucos vidimus, caulibus simul altioribus. Occurrit insuper in montosis calcareis varietas caule a basi ramoso, foliis acutiusculis, profundius serratis.

551. S. reflexum. L. P. 17. W. 13.

♃. 6, 7. In pascuis siccis et aggeribus: *Dülmen bei der Capelle,* N.! *Rheine! Greven!* alibique haud ita frequens. — Folia inferiora reflexa; calyces acuti.

552. S. rupestre. L. P. 19. W. 15.

*β. glomeratum, Nobis.*

♃. 7. In pascuis aridis ad ripas *Rheni!* β in aggeribus lapidosis prope *Bentheim!* et *Gildehaus!* — Folia omnia erecta; calyces obtusiusculi; in β flores aurei, in capitulum densum subglobosum conferti. Prius variat foliis læte viridibus et glaucescentibus.

553. S. album. L. P. 27. W. 21.

♃. 7, 8. In muris, apricis siccis, passim. — Folia cylindrica, obtusissima; flores albi.

554. S. acre. L. P. 28. W. 22.

♃. 6, 7. Ubique in ruderatis, muris, arenosis. — Folia ovata, carnosa, arcte imbricata; flores aurei; semina rugosa.

555. S. sexangulare. L. P. 29. W. 23.

♃. 7, 8. Similibus cum priori locis, ast paulo rarius. — Folia subcylindrica, in ramis floriferis patentia, in junioribus sexfariam imbricata; flores aurei; semina longitudinaliter setis minimis scabri.

556. S. tectorum. *Scopoli.*

Sempervivum tectorum. L. P. 1197, 5. W. 965, 5.

♃. 7, 8. In muris et tectis rusticorum ubique vulgare. — Planta inter speciosissimas indigenarum enumeranda.

208. OXALIS. L. P. 1144. W. 918.

557. O. Acetosella. L. P. 26. W. 25.

♃. 4—6. In sylvaticis nemorosis ubique, nec non in dumetis umbrosis. — Corolla alba, venis purpureis.

558. O. stricta. L. P. 83. W. 80.

*β. diffusa*, *Nobis.*

♃. 5—9. In cultis, inter olera, rarius etiam in agris: *Bielefeld*, A.!; *Velen! Dorsten! Wesel! Bentheim!* alibique. — Corolla citrina; caules plerumque erecti, in β diffusi, ramis elongatis, numquam vero omnino prostrati, ut in sequente, quacum sæpe confunditur, a qua etiam colore læte viridi, nec purpurascente, foliis glabris, nec pilosis, atque radice re-

pente perennante facile discernitur. Caule læso vel a pecore præmorso rami inferiores luxuriantes nonnunquam caules prostratos mentiuntur, præcipue in varietate β, quam ad ripas Rheni priore frequentiorem vidimus.

559. **O. corniculata.** L. P. 84. W. 81.

⊙. 6—8. Cum priore inter olera, rarius in agros excurrens. — Caules prostrati, terræ adpressi, interdum radicantes; radix ramosa, verticalis, annua.

### 209. AGROSTEMMA. L. P. 1145. W. 919.

560. **A. Githago.** L. P. 1. W. 1.

⊙. ♂. 6, 7. In agris inter cerealia, passim nimis frequens. — Plantam autoribus annuam, nobis etiam biennem, autumno jam enascentem, sequenti æstate florentem observavimus; unde fit, quod inter segetes æstivales rarius obvia veniat. — Variat floribus carneis et albis.

### 210. LYCHNIS. L. P. 1146. W. 920.

561. **L. Flos cuculi.** L. P. 2. W. 2.

♃. 5—7. In pratis et pascuis vulgaris. — Variat floribus albis, nec non petalis duplo fere minoribus, antheris uredine combustis.

### 211. MELANDRIUM. *Rœhling.*

562. **M. pratense.** *Rœhling.*

Lychnis dioica β L. P. 1146, 6. W. 920, 10β.

♃. 5—7. In agris frequens. — Flos albus. Variat floribus dilute roseis, hybrida forsan ex hac et sequente proles.

563. **M. sylvestre.** *Rœhling.*

Lychnis dioica. L. P. 1146, 6β. W. 920, 10α.

♃. 5—9. In dumetis fere ubique, rarissime in agros excurrit. — Flos ruber, præcedente plerumque minor, magnitudine vero petalorum, nec non eorum latitudine atque colore albido, carneo, aut punctis roseis picto, valde variabilis. — Jure, ni fallimur, cel. *Ræhling* Melandria a Lychnidis genere sejunxit, capsula monoloculari prædita, quæ in hoc quinquelocularis est.

## 212. CERASTIUM. L. P. 1147. W. 921.

564. **C. vulgatum.** L. W. 2.

C. ovale. *Pers.* P. 7.

⊙. 5—10. In pascuis et arvis humidiusculis, præcipue arenosis aut lutosis fere ubique, sequente vero rarius. — Herba flavo-virens, caulibus paucis, sæpe solitariis, erectiusculis, pilis divergentibus hirsutis; folia lato-ovalia, apice cum mucrone exiguo, inferiora basi angustata, ut in congeneribus; flores conferti, (C. glomeratum *Thuill.*), pedunculis calyce brevioribus; petala calycem æquantia, profunde bifida; capsula seminum maturescentium calycem vix superans, demum vero excrescens, demissisque seminibus illo duplo fere longior; semina ovata, tuberculata, fulva. Variat, præcipue versus hyemem, petalis brevissimis vel subnullis; forsan idem cum C. brachypetalo *Personii*, nullo autem alio discrimine a C. vulgato diversum.

565. **C. viscosum.** L. W. 4.

*α. eglandulosum. Nobis.* C. vulgatum. *Pers.* P. 3.

*β. glandulosum. Nobis.* C. viscosum. *Pers.* P. 8.

⊙. 4—9. α in agris, arvis, pascuis ubique vulgatissima stirps; β in pascuis et arvis arenosis passim,

ast multo rarius. — Herba saturate virens, caulibus sæpe purpurascentibus, in β pallidior, plerumque ob partium viscositatem undique inquinata; folia quam in præcedente angustiora, acutiora; pedunculi inæquales, calyce fere duplo triplove longiores; petala calycem paulum superantia, apice bipartita; capsula parum incurvata; semina rugosa. — Hæ sunt veræ, siqua cl. Smithio fides est tribuenda, Linnæi plantæ. Ex cognominibus autem male congruis ab immortali rei herbariae statore eis adscriptis praecipue confusiones ortae sunt, quibus illas obrutas videmus. Quod enim Cerastium vulgatum laudavit, apud nos, sicut alibi, nequaquam vulgatum, vel immo e pluribus Germaniae regionibus exul, esse videtur; quod vero viscosum nuncupavit, saepius pilis omnino eglandulosis obsitum, rarius viscidum occurrit. Inde C. viscosi varietas vulgatissima eglandulosa pro C. vulgato, varietas glandulosa pro C. viscoso, verum autem C. vulgatum aliis nominibus (glomerati *Thuill.*, ovalis *Pers.*), ceu diversae species, ab autoribus enumerantur. Magistris vero scientiae relinquendum, quid in hac synonymorum angustia faciendum sit.

566. C. semidecandrum. L. P. 9. W. 5.

☉. 4—6. In arvis, aggeribus siccis et muris ubique copiose. — Planta plerumque vix digitalis, undique hirsuta, pilis superioribus glanduliferis; stamina sæpius 5; petala apice inciso-emarginata, calycem vix superantia; capsula elongata incurva; semina fulva, granulata, compressa. Variat in cultis fertilioribus caulibus spithamaeis, petalis calyce subbrevioribus, apice oblique truncatis, bi-vel tridentatis. — Haec, quae descriptioni cl. *Smithii* ex omni numero respondet, diversa videtur esse ab illa, quam cl. *à Schlechtendal* in flor. Berol. sub hoc titulo descripsit, cuique petala profunde bipartita tribuit.

567. C. arvense. L. P. 12. W. 7.

♃. 4—7. In pascuis, viis et ambarvalibus, praesertim solo sabuloso vulgare. — A congeneribus facile distinguendum floribus speciosis, petalis obcordatis, calyce duplo majoribus. Variat locis humidis arenosis foliis superioribus latioribus, exacte ovalibus.

### 213. SPERGULA. L. P. 1148. W. 922.

568. S. sativa. *Nobis.*

S. arvensis. L. (secund. *Smith* et *Decandolle.*)

☉. 6—9. Spontanea passim, ast rarius, in agris sabulosis, quos nunquam deserit, in illis vero praecipue post messem copiose culta. — „Semina — demum tuberculato scabra „*Smith.* —“ Les graines sont — un peu chagrinées à leur maturité. Elle croit dans les champs sablonneux.“ *Decandolle.*

569. S. vulgaris. *Nobis.*

S. arvensis. *omnium fere auctorum.* (an L.?)

*β. sphærocarpa*, *Nobis.*

☉. 6—9. Ubique in agris, arvis, ad vias, solo tam argillaceo quam arenoso, immo et in humidis lutosis. — Utriusque plantae indoles naturalis, agricultoribus nostratibus jam dudum optime nota, eas magis specie ab invicem separat, quam differentiae ex habitu atque partibus earum desumtae, fideliterque redeuntes, discrimen inter illas verbis statuendum praebent. Certissima distinctio desumitur de seminibus, quae in priore semper glabra, per lentem punctis elevatis concoloribus scabriuscula, margine latiore aucta, in hac vero, à rusticis *Watergeil* nuncupata, minora, granulis stipitatis albidis, demum fuscescentibus exasperata, margine minore vix pallidiore cincta sunt. Huic supervenit, quod S. vulgaris semina maturata sta-

tim dimittat; illa vero propter capsulam apice minus profunde incisam ea diutius retineat. In illa panicula usque ad apicem fere repetito-dichotoma, floribus in dichotomia positis; in hac panicula semel aut bis tantum dichotoma evadit, floribus versus apicem racemosis. Illa in argillosis aut lutosis sata non viget, hæc ubique lætatur. Staminum autem numerus in utraque variat a 5 ad 10; in hac sæpius 8 vidimus, quod rarius in illa. — Dubia mente ultimæ huic speciei ceu varietatem subscribimus varietatem β, sphærocarpam nobis auditam, prope *Bentheim* locisque vicinis degentem, pube densa, undique glandulifera obsitam, colore herbæ exinde incano-glaucescente, petalis calycem vix superantibus, interdum illo minoribus, pedicellis capsula subglobosa vix duplo longioribus, seminum margine undulato, staturaque denique humiliore, denso, distinctam, seminum papillis fuscescentibus illi affinem.

570. S. maxima. *Weihe in litt.*

⊙. 6—8. In agris inter Linum usitatissimum, forsan cum seminibus hujus plantæ e regionibus borealioribus, ubi indigena, advecta. — Differt a præcedentibus: caule elatiore, 2—3pedali, internodiis 7—9, (unde nomen vernaculum *Niegenknee*), foliisque fasciculatis glabris; panicula sub anthesi diffusa, summitatibus Lini per ambitum pedis incumbente, pedicellis calycibusque glanduloso-hispidis; seminibus angulatis, marginatis, papillis albidis exasperatis, 3—4plo majoribus.

571. S. pentandra. L. P. 2. W. 2.

⊙. 4—6. In arenosis sterilibus: *Coesfeld* versus pagum *Stevede! Münster* prope *Kinderhaus!* alibique. — A prioribus facile distinguitur foliis abbreviatis, seminibus margine lato-membranaceo, albido cinctis.

Staminum numerus variat a 5 ad 10, atque, quod mirum, ita, ut in speciminibus subunifloris fere semper 10, in robustioribus vero plerumque 5 stamina adsint.

572. S. nodosa. L. P. 6. W. 3.

♃. 6—9. In uliginosis turfosis ubique abundat. — A congeneribus habitu rigidiusculo, foliis brevibus subverticillato-connatis, floribusque ut plurimum majoribus, praeter alias notas facile discernenda.

CLASSIS XI.

# DODECANDRIA.*)

## MONOGYNIA.

---

### 214. ASARUM. L. P. 1151. W. 925.

573. A. europæum. L. P. I. W. I.

♃. 3, 4. In nemorosis montosis rarius: *Bielefeld* versus pagum *Uehrendorff*, A. — Folia reniformia; flos urceolatus, atro-purpureus, villosus.

### 215. LYTHRUM. L. P. 1182. W. 951.

574. L. Salicaria. L. P. I. W. I.

♃. 7—9. Ad margines fossarum, locis hyeme inundatis vulgare. — Planta polymorpha, varians foliis angustis elongatis, bracteis floribus confertis minoribus, atque foliis brevioribus, bracteis foliaceis flores remotiusculos duplo triplove superantibus. Formae autem intermediae ubique abundant.

## DIGYNIA.

### 216. AGRIMONIA. L. P. 1187. W. 957.

575. A. Eupatoria. L. P. I. W. I.

♃. 6—9. In pascuis sylvaticis et ambarvalibus, solo praecipue argillaceo vulgaris. — Folia interrupte pinnata; flores flavi; fructus sulcatus, setis uncinatis muricatus.

---

*) Classis haec, quae a recentioribus dissolvitur, in prodromo nostro retinenda videbatur.

## TRIGYNIA.

### 217. RESEDA. L. P. 1188. W. 958.

576. **R. Luteola.** L. P. 1. W. 1.

♂. 6—8. In ruderatis, arvis, pascuis siccis passim, non rara. — Planta speciosa, sæpe humanam attingens altitudinem; flores flavi; folia integra.

577. **R. lutea.** L. P. 11. W. 10.

☉. 6—9. In pascuis siccis: *Rheine*, M.; *Leden*, B.; *Wesel! Rees! Emmerich!* copiose. — Flores sulphurei; folia pinnatisecta; facies R. odoratæ.

### 218. EUPHORBIA. L. P. 1190. W. 959.

578. **E. Peplus.** L. P. 87. W. 68.

☉. 7—9. In cultis ubique. — Umbella trifida; folia caulina obovata, ramea ovata; capsulae glabrae.

579. **E. exigua.** L. P. 90. W. 70.

☉. 7, 8. In agris, praecipue argillosis vulgaris. — Umbella trifida; folia linearia; capsulae laeves. Occurrit in solo fertiliore saepe caule ramosissimo decumbente.

580. **E. helioscopia.** L. P. 126. W. 98.

☉. 6—8. In agris et cultis ubique. — Umbella quinquefida; folia cuneiformia, cum caule interdum leviter pubescentia; capsulae laeves.

581. **E. Lathyris.** L. P. 98. W. 76.

♂. ♃.? 7, 8. In cultis et hortis rarior: prope *Coesfeld! Klinke!* quasi sponte. — Folia in plantis sterilibus linearia, glaucescentia, decussata; in fertilibus, praecipue superne, subovata, sinuato-dentata, viridia.

582. E. platyphylla. L. P. 141. W. 109.

⊙. 6—8. In agris argillosis, præcipue inter segetes hyemales: *Daldrup prope Dülmen*, N.! *Darup im Höveler Felde* copiose! — Planta inter rariores Germaniæ borealis censenda, dignoscitur a congeneribus foliis obovato-lanceolatis, acutiusculis, subpilosis, e medio ad apicem serrulatis; involucellis rhomboideis, carina ciliatis, sæpe undique pilosis; capsulis tuberculato-scabris.

583. E. Esula. L. P. 145. W. 111.

♃. 5—8. In agris, arvis et pascuis: *Rheine*, M.; ad ripas *Rheni!* et fl. *Lippe* inferioris! — Sequente multo apud nos rarior, differtque ab illa involucellis subcordatis, nectariis bicornibus, nec rotundatis, ramis sterilibus, foliis angustioribus uniformibus.

584. E. gerardiana. L. P. 146. W. 112.

♃. 5—7. In arvis et pascuis ad fl. *Lippe* et *Emse* copiose. — Ramis nullis, involucellis subrotundis, petalis integerrimis, foliis latioribus distincta.

585. E. Cyparissias. L. P. 147. W. 113.

♃. 5—7. In pascuis et campis sterilibus: *Havixbeck! Wesel! Rees! Emmerich!* alibique. — Differt a praecedentibus statura plerumque minore, foliis angustissimis, rameis fere setaceis. Variat foliis latioribus.

586. E. palustris. L. P. 150. W. 116.

♃. 5—7. Locis aquosis uliginosis inter *Wesel* et *Rees* hanc nobis indicavit col. Praeses *à Schlechtendal*. — Planta excelsa, e longinquo facie Salicis; caules plures saepe orgyales; folia plerumque lanceolata; involucra rotundato-ovata; capsula tuberculata.

## CLASSIS XII.

# I C O S A N D R I A.

## M O N O G Y N I A.

---

### 219. PHILADELPHUS. L. P. 1199. W. 967.

587. P. coronarius. L. P. 1. W. 1.

♄. 5, 6. Ad sepes, in ambulacris, quasi spontaneus, non minus ac Syringa jam dudum inquilina factus. — Frutex, saepe cum Jasmino confusa, floribus albis, grate odoratis.

### 220. PRUNUS. L. P. 1221. W. 982.

588. P. Padus. L. P. 1. W. 1.

♄. 5—6. In dumetis humidis praecipue subturfosis abundanter. — Racemi penduli; flores albi; baccae globosae, nigrae. Flores saepe steriles propter defectum stigmatis.

589. P. Chamæcerasus. *Jacquin.* P. 14. W. 17.

♄. 5. Frutex copiose culta prope *Coesfeld*, jamque ibidem spontanea passim in dumetis. — *(Ostheimer Kirsche).* — Sequenti valde affinis, ex seminibus autem immutata provenit.

590. P. Cerasus. L. P. 15. W. 18.

♄. 5. In dumetis passim: prope *Darup! Notteln! Halteren! Lippramsdorf!* alibique adeo frequens, ut fere pro indigena sit habenda. — Sequente minor, radicibus longe lateque repentibus, soboliferis,

ramis saepius declinatis, fructibus globosis, atro-purpureis, acidis. — (*Sauerkirsche, Weichsel.*)

591. **P. acida.** *Ehrhart.*

P. Cerasus caproniana. *Bauh.* W. 18$\alpha$.

♄. 5. In cultis, pomariis, circa domicilia, inquilina, nec indigena. — (*Glaskirsche, Amarelle.*) — Arbor mediocris, ramis patulis; fructus magni, depresso-globosi, semper aciduli.

592. **P. juliana.** *Hortul. Decandolle.*

P. Cerasus $\varepsilon$ L. P. 15 var. W. 18 $\varepsilon$.

♄. 5. Colitur cum caeteris, atque non raro spontanea in sylvaticis et dumetis. — (*Süsskirsche, gemeine Kirsche.*) — Arbor elatior, ramis junioribus erectis, adultis patulis; folia magna, saepius pendula, utrinque glabra; fructus cordato-globosus, albus, varius, ruber aut atropurpureus, aquosus, succo dulci, nunquam acido.

593. **P. avium.** L. P. 16. W. 19.

♄. 5. In sylvaticis, dumetis frequens, certe indigena. — (*Vogelkirsche.*) — Arbor excelsa; fructus omnium minimus, succo dulcissimo; folia subtus discolora, parce pubescentia.

594. **P. duracina.** *Hortul. Decandolle.*

P. avium. var. L. P. 16$\beta$ et $\gamma$. W. 19$\beta$ et $\gamma$.

♄. 5. Ubique in hortis et pomariis; non indigena. — (*Hartkirsche*). — Arbor elatior, ramis erecto-patentibus; folia apicem versus parum dilatata, pendula; gemmae obtusae, nec ut in praecedente acutae, flores 5—6ni, nec 2—3ni; fructus magni, subcordati, hinc leviter sulcati, duriusculi, plerumque ex albo et rubro varii.

595. **P. domestica.** L. P. 26. W. 29.

♄. 5. In arboretis, sepibus et in dumetis passim vulgaris. — (*Gemeine Pflaume.*). — Culta maxime variat; sed etiam in spontanea e seminibus casu elapsis enata duæ præcipue varietates satis constantes observantur, altera fructibus mense Augusto maturis, paulo majoribus, ad exsiccandum aut coquendum haud aptis, altera vero serotina, fructibus ad usum domesticum optimis, vernacula voce *Backpflaume* laudata.

596. **P. insititia.** L. P. 30. W. 30.

♄. 5. In dumetis, præsertim solo calcareo et argillaceo non rara. — Omnino intermedia inter præcedentem et sequentem. Variat culta fructibus nigris et flavescentibus. — (*Kriechen-Pflaume.*)

597. **P. spinosa.** L. P. 31. W. 32.

♄. 3, 4. In dumetis, sylvaticis ubique copiose. — Quamvis praecedenti affinis fructibusque solito majoribus ludat, certo discrimine pedunculorum longitudine fere calycis, nec eum triplo quadruplove superantium, temporeque florendi satis discrepat. — (*Schwarzdorn, Schlehenpflaume*). — P. insititia nonnullorum auctorum hujus videtur esse mera varietas.

Obs. Caeterae hujus generis stripes, in hortis et cultis obviae, nequaquam inquilinae sunt habendae.

## TRIGYNIA.

### 221. SORBUS. L. P. 1227. W. 989.

598. **S. aucuparia.** L. P. 6. W. 1.

♄. 5, 6. In sylvaticis ubique. — (*Vogelbeerbaum*).

## PENTAGYNIA.

### 222. MESPILUS. L. P. 1229. W. 991.

599. **M. germanica.** L. P. 1. W. 1.

♄. 5. In sylvaticis, dumetis passim, copiose prope *Gescher! Velen!* locisque vicinis. — (*Mispel.*)

### 223. CRATAEGUS. L. P. 1226. W. 987.

600. **C. Oxyacantha.** L. P. 27. W. 16.

♄. 5. In sylvaticis, dumetis ubique. — (*Weissdorn*).

601. **C. monogyna.** *Jacquin.* P. 28. W. 17.

♄. 5, 6. Cum priori praecipue solo argillaceo et calcareo frequens. — Paulo serius floret; flores plerumque monogyni, calycibus reflexis villosis; folia profundius laciniata, laciniis angustioribus, acutioribus; fructus minores. Cl. *Lindley* hanc iterum priori ceu varietatem subscripsit, cui vero annuere non-posse fatemur.

### 224. PYRUS. L. P. 1231. W. 992.

602. **P. Achras.** *Wallroth.*

P. communis. L. P. 1. W. 6.

♄. 4, 5. In sylvaticis nemorosis, dumetis: *Darup! Coesfeld! Notteln!* alibique. — Pomum basi productum, (pyriforme), sapore minus acerbo; folia ovata, acuminata, longius petiolata, juniora lanata.

603. **P. Pyraster.** *Wallroth.*

♄. 4, 5. In sylvaticis et dumetis, praecedente frequentior. — Pomum globosum, (maliforme), sapore acerbissimo; folia subrotunda, juniora plerumque

glabra. Hanc stirpem, notis constantibus a praecedente distinctissimam, rusticis *Küttelbirne* auditam, P. falernarum *(Bergamotte)* forsan proavum, specie ab illa disjungendam putamus.

604. P. acerba. *Mérat.*

*β. tenuiflora.* *Nobis.*

♄. 5. In sylvaticis nemorosis, præsertim solo argillaceo et calcareo frequens; *β* prope *Darup!* rara. — Folia adulta utrinque glabra, juniora ad venas tantum pubescentia; fructus parvi, sero maturantes, sapore valde acerbo. Varietas *β*, distincta floribus saturate roseis, fere purpureis, petalis lanceolatis utrinque attenuatis, planis, patentibus, calycibus apice tantum pubescentibus, cujus fructum autem nondum vidimus, ulterius examinanda videtur.

605. P. Malus. L. P. 6. W. 9.

*β. P. præcox.* *Pallas.*

♄. 5. In sylvaticis, ad sepes: *Darup! Notteln! Billerbeck!* alibique; *β* ad pagos rarior. — Distincta a præcedente foliis supra pubescentibus, subtus lanatis, fructu majore, citius maturante, sapore miti, floribus pallidioribus, petalis obovatis apice rotundatis. Varietas *β*, semper frutex humilis, jam versus Julii finem fructus maturat, atque illa est, quæ nomine vernaculo *Johannisapfel (Doucin gall.)* in plantariis colitur, ramalibusque multiplicatur, ut arbores pumiliones illi inserantur.

225. CYDONIA. *Miller.* P. 1232.

606. C. vulgaris. *Pers.* P. 1.

Pyrus Cydonia. L. W. 992, 17.

♄. 5, 6. Ad sepes humidos, circa domicilia, jam

dudum inquilina. — Varietatem maliformem nunquam spontaneam observavimus.

226. SPIRAEA. L. P. 1236. W. 996.

607. S. salicifolia. L. P. 2. W. 2.

♄. 6—8. Ad sepes passim, quasi spontanea; copiosc in dumetis pratorum *am Kanal hinter der steinernen Schleuse*, K. — Frutex humilis; flores in racemum densum compositum conferti, rosei.

608. S. Ulmaria. L. P. 17. W. 17.

*β. denudata. Nobis.*

♃. 6, 7. In pratis, locis humidis ubique. — Herbacea; flores cymosi, ochroleuci, ingrati odoris. Prope *Darup! Coesfeld!* locisque vicinis varietas *β*, foliis subtus denudatis concoloribus, priore fere frequentius occurrit, cæterum vero nullo alio discrimine ab illa diversa, ut non nisi pro varietate ejus habenda, diagnosis autem emendanda videatur.

## POLYGYNIA.

227. ROSA. L. P. 1237. W. 997.

609. R. villosa. L. P. 16. W. 12.

♄. 6, 7. Hortorum aufuga, ad sepes, circa domicilia passim, quasi spontanea. — Frutex 5—10pedalis et ultra; foliola magna, elliptica, utrinque villosa, subtus glandulosa; flores parvi, petalis obcordatis pallide roseis; fructus omnium maximus, subglobosus, cum pedunculo plerumque setis rigidis hispidus calycis laciniae lineari - lanceolatae , glanduloso - hispidae.

610. R. mollissima. *Willd.* P. 16. *β*. W. 12. *β*.

♄. 6—8. In dumetis, solo calcareo: *Münster! Neuenberge! Stromberg! Coesfeld auf dem Hüppelswick!* — Frutex 4—5pedalis; foliola ovato-rotundata, cum petiolis mollissime tomentosa; calycis laciniæ pinnatifidæ; fructus mediocris, plerumque glaber, globosus; pedunculi hispidi.

611. R. tomentosa. *Smith.* P. 39.

♄. 6, 7. In dumetis et sylvaticis montosis calcareis passim haud frequens. — Differt a præcedente: aculeis caulinis validioribus subaduncis; foliolis minoribus, elliptico-ovatis, glanduloso biserratis; fructibus ovatis, apice attenuatis, minoribus, cum pedunculis undique hispidis, forma et magnitudine fere R. caninæ.

612. R. canina. L. P. 38. W. 31.

*β. glandulosa*, foliorum serraturis petiolisque glandulosis.

♄. 6, 7. In dumetis et sylvaticis ubique; varietas β solo calcareo non rara. — Fructus ovati, sæpe oblongi, utrinque attenuati; foliola simpliciter, aut duplicato, interdum fere triplicato-serrata, supra nitida, subtus pallidiora, opaca, subglauca.

613. R. Swartzii. *Fries.* (*Bot. Zeit.*)

♄. 6, 7. In dumetis, solo calcareo: prope *Darup! Nottelн! Nienberge!* alibique haud infrequens. — Differt constanter a præcedente affini: fructu saturatius rubro, præcipue vero foliis utrinque nitidis, quasi unctis, concoloribus, angustioribus, apice in acumen productis, inæqualiter argute duplicato-serratis. Hanc in Monographia cl. *Trattinnick* desideramus.

614. R. dumalis. *Bechstein.*

♄. 6, 7. In sylvaticis frondosis: semel tantum vi-

dimus prope *Bentheim im Walde bei der Ashorst!* — Differt præcipue a R. canina: laciniis calycinis subsimplicibus, intus albo tomentosis, maturante fructu late expansis, fructibusque majoribus, maturis fusco-purpureis.

615. R. dumetorum. *Thuillier.*

R. canina γ. *Pers.* P. 38γ.

♄. 6, 7. In sylvaticis, dumetis frequens. — A R. canina proxima facile dignoscenda foliolis subtus petiolisque villosis. Foliola in nostrate nunquam supra pubescentia vidimus.

616. R. sepium. *Thuillier.*

♄. 6, 7. In dumetis et fruticetis passim, præcipue *Rhenum* versus non adeo rara. — Et haec quoque R. caninae affinis, saepiusque cum illa confusa; differt autem foliolis minoribus, subtus pilis glandulosis obsitis; a R. rubiginosa vero distinguitur foliolis magis acuminatis, urceolis multo magis elongatis, pedicellisque glaberrimis.

617. R. micrantha. *Smith.*

♄. 6, 7, atque sæpe iterum 9, 10. In sepibus et dumetis solo calcareo rarior: *Stromberg! Beckum!* — Sequenti valde affinis, a cl. *Trattinnick* autem specie iterum distincta: urceolis ellipticis, fuscis, basi sparse hispidis, petiolis tomentosis, foliolis ellipticis, floribus minoribus cyathyformibus, fructibus denique minoribus, ampullaceo-ellipticis.

618. R. rubiginosa. L. P. 29. W. 21.

♄. 6, 7. In sylvaticis et dumetis fere ubique, nullibi autem copiose. — Petioli villosi, foliola subrotundo-ovata, subtus glandulosa, trita grate odorata, ut in

priore; urceolus obovatus plus minusve glanduloso-hispidus; flores majusculi, concavi, rubri. Stirps ceterum valde varians magnitudine, florum dispositione atque hispiditate.

619. **R. arvensis.** L. P. 7. W. 6.

♄. 6, 7. In dumetis et sylvaticis, solo calcareo: *Münster* prope *Sentrup*, W.; *Rheine!* M.; *Stromberg! Oelde!* — Frutex infirma, ramis longis procumbentibus; flores cymosi, magni, albi, rarius parum erubescentes, pedunculis glandulosis; fructus glabri, juniores clavati, demum globosi.

620. **R. cinnamomea.** L. P. 5. W. 5.

♄. 5, 6. Ad sepes passim, rarior: *Rheine*, M.; *Dülmen* prope *Engsterstein*, N.! — Flores in nostrate semper plenos vidimus, saturate roseos, brevissime pedunculatos. Foliola lanceolata, serrulata, supra saturate viridia, subtus canescentia atque pubescentia.

### 228. RUBUS. L. P. 1238. W. 998.

(1. *Caule foliifero glabro.*)

(*a. Corylifolii.*)

621. **R. fastigiatus.** *Weihe et Nees.*

♄. 5. In nemorosis sylvaticis. — Racemi horizontales; flores albissimi. Omnium primus floret fructusque gerit maturos.

622. **R. plicatus.** *Weihe et Nees.*

♄. 5, 6. In nemoribus et ad margines sylvarum. — Priori similis, racemi vero erecti; folia plicata, minus acuminata atque minus argute serrata; paulo serius denique floret. In utroque calyces extus glabri aut parce pubescentes, intus margineque albo-tomentosi.

623. **R. affinis.** *Weihe et Nees.*

♄. 6. In nemoribus, ad sylvarum margines. — Panicula dense foliosa; folia in ramo florifero plerumque quinata, undulato-crispata, acute serrata; calyces extus villosi; aculei in caule foliifero quam in præcedentibus paulo crebiores.

624. **R. nitidus.** *Weihe et Nees.*

♄. 6. Similibus cum prioribus locis. — Racemus pauciflorus; calyces extus pubescentes; folia quam in præcedentibus minora, basi magis ovata.

(*β. Candicantes.*)

625. **R. fruticosus.** *Weihe et Nees.*

♄. 6, 7. In dumetis et nemoribus passim. — Racemi paniculati, longissimi; foliola oblonga, subtus albida, lateralia subsessilia.

626. **R. rhamnifolius.** *Weihe et Nees.*

♄. 6, 7. In dumetis et nemoribus. — Racemi paniculati, thyrsoidei; foliola omnia petiolata, quam in præcedente rotundiora, subtus albida. Caules foliiferi autumno cœrulescunt; calyces in utroque extus incano-tomentosi.

(*γ. Caule tereti, foliis ter-quinatisve pinnatim positis.*)

627. **R. Idæus.** L. P. 6. W. 4.

♄. 5, 6. In nemoribus, sylvis cæduis passim non rarus. — (*Himbeere*). Cultus variat fructu rubro et albo velutino.

628. **R. cæsius.** L. P. 12. W. 12.

*α. R. cæsius palustris*, *Weihe*, foliis ternatis subnudis.

*β. R. pseudocæsius*, *Weihe*, foliis ternatis, omnibus lobatis, subtus tomentosis.

*γ. R. pseudoidæus*, *Weihe*, foliis quinato-pinnatis, subtus tomentosis.

♄. 5—7. In arvis, dumetis, præcipue calcareis, nec non ad ripas frequens. — Fructus cæsius.

(2. *Caule foliifero plus minusve piloso.*)

(*α. Foliis ternatis.*)

629. **R. saxatilis.** L. P. 35. W. 25.

♄. 5, 6. In sylvaticis lapidosis calcareis: *Darup! Havixbeck! Riesenbeck*, W. — Caules floriferi fere spithamei; fructus ruber, ex paucis acinis compositus. Herbaceus dicitur, sed caules foliiferi hyeme foliis emarcidis teguntur, et partim frigore emoriuntur. — Hunc in turfosis *im Mervelder Bruche* reperisse asseruit magister quidam; res sane mira, siquidem vera! Nos illum frustra iterata vice in loco indicato investigavimus.

630. **R. Sprengelii.** *Weihe.* (*Bot. Zeit.*)

♄. 6, 7. In sylvis et dumetis non rarus. — Panicula laxa, diffusa; flores eleganter rosei; calyx patens, extus pilosus. In sylvis procumbens, flagellis sub gramine et foliis arborum emarcidis prorepentibus, in dumetis adscendens.

(*β. Foliis quinatis.*)

631. **R. rhombifolius.** *Weihe in litt.*

♄. 6, 7. In dumetis frequens. — Folia rhombea, subtus albida; caulis glabriusculus.

632. **R. carpinifolius.** *Weihe in litt.*

♄. 6, 7. In dumetis. — Caulis firmus, pilosus, maculatus; flores paniculati, albi; folia plicata, subcordata, oblonga, argute duplicato-serrata, acuminata; pedunculi, ut in priore, ad apicem usque spinosi; calyces longe acuminati.

633. **R. pubescens.** *Weihe in litt.*

♄. 6, 7. In sylvis et dumetis. — Caulis angulatus, pubescens; foliola oblonga, incana; panicula longissima; flores albi; calyces breviter acuminati.

634. **R. Schlechtendalii.** *Weihe in litt.*

♄. 6, 7. In nemorosis. — Caulis tomentosus; foliola oblongo-obovata, acuminata; flores amplissimi, petalis albis, staminibus roseis; fructus maximus, calycibus demum elongatis, sæpe dente uno alterove notatis.

(3. *Caule foliifero apiculato et glanduloso.*)

(α. *Foliis ternatis.*)

635. **R. Schleicheri.** *Weihe in litt.*

R. glandulosus. *Schleicher et Willdenow.*

♄. 6, 7. In dumetis non rarus. — Folia ternata; panicula cernua; flores albi; caulis teres, spinis tenuioribus inæqualibus crebris horridus, interjectis pilis glanduliferis.

(β. *Foliis quinatis.*)

636. **R. Radula.** *Weihe in litt.*

♄. 6, 7. In dumetis et sylvaticis. — Folia ex cordata basi oblonga, subtus albida; racemi paniculati, longissimi; flores albi vel pallide rosei.

637. **R. ferox.** *Weihe in litt.*

♄. 6, 7. In dumetis scandens. — Caulis undique horridus; folia lateralia sessilia, omnia subrotunda; calyces sæpius undique spinis tenuibus obsiti.

638. **R. nemorosus.** *Hayne.*

R. holosericeus. *Weihe in litt.*

♄. 6, 7. Ad sylvarum margines, in dumetis. — Caulis teres, villosus, aculeis subrectis; folia villosa, in caule fructifero ternata; calyx glanduloso-pubescens reflexus; flores plerumque rosei.

639. **R. dumetorum.** *Weihe in litt.*

♄. 6, 7. In dumetis ubique. — Foliola lateralia sessilia; flores corymbosi, albi vel rosei. Caulis respectu armationis variabilis.

640. **R. infestus.** *Weihe in litt.*

♄. 6, 7. In dumetis et nemoribus. — Caulis versus apicem densius armatus; panicula brevis, foliis simplicibus interjectis; foliola ovata, acuminata, minora. (*)

229. FRAGARIA. L. P. 1240. W. 999.

641. **F. semperflorens.** *Duchesne.*

F. alpina. *Pers.* P. 1γ. W. 1γ.

(*) Plures sine dubio hujus generis formæ in agro nostro occurrunt, hasce enumeratas tantum secundum specimina ab am. D. *Weihe* benevolenter nobiscum communicata, prævia ejus revisione, indicare potuimus. Maxime vero optanda est continuatio Monographiæ, ab illo juncto cum clss. *Nees ab Esenbeck* susceptæ, operis egregii, cujus auxilio solo multa circa Rubos dubia solvi possunt.

♃. 5—8. In sylvaticis montosis: *Darup! Coesfeld!* copiose *im Teutoburger Walde!* — Radix perpendicularis; foliorum serraturæ longius acuminatæ; laciniæ calycinæ patulæ; fructus conico-ovatus.

642. **F. vesca.** L. P. 1. W. 1.

♃. 5, 6. In sylvaticis ubique. — Radix horizontalis; calyx reflexus; fructus depresso-globosus.

643. **F. collina.** *Ehrhart.* P. 2. W. 6.

♃. 5, 6. In sylvaticis elatioribus calcareis cum præcedentibus passim, ast rarior. — Radix horizontalis; folia longius petiolata, dente extimo minimo; petala basi subcuneata; fructus oblongo-subglobosus, non deciduus, calyce connivente tectus.

Obs. Coluntur præterea atque hortorum aufugæ occurrunt F. elatior *Ehrh.*, F. virginiana *Ehrh.* atque F. grandiflora *Ehrh.*, quarum prior incertæ est originis.

### 230. POTENTILLA. L. P. 1241. W. 1000.

644. **P. Anserina.** L. P. 2. W. 2.

♃. 5, 7. In pascuis humidis ubique. — Folia interrupte pinnata, subtus sericea. Variat insigniter magnitudine atque foliis undique incano serriceis aut supra viridibus.

645. **P. supina.** L. P. 13. W. 13.

*β. limosa.* *Nobis.*

⨀. 6—9. Locis humidiusculis lutosis: prope *Wesel!*; β ibidem *auf der Budricher Insel* in fossis hyeme inundatis. — Caulis decumbens; folia pinnata, foliolis subcuneatis, pubescentibus, utrinque viridibus; petala calycem non superantia. In β caulis erectus,

2—6 uncialis, simplex aut parum ramosus; foliola plerumque 3 aut 5; petala calyce breviora.

646. **P. argentea.** L. P. 17. W. 17.

♃. 5—8. In sylvaticis siccis, muris frequens. — Folia quinata, foliolis incisis subtus candido-tomentosis. Variat foliorum laciniis angustioribus et latioribus.

647. **P. verna.** L. P. 25. W. 24.

♃. 4—9. In montosis, locis aridis: *Stromberg!* copiose secus tractum *montium Teutoburgicorum!* — Folia inferiora 7—3nata; caules declinati.

648. **P. reptans.** L. P. 42. W. 34.

♃. 6—8. In umbrosis humidis vulgaris. — Caules sarmentosi; folia quinata; flores solitarii, speciosi.

649. **P. Fragariastrum.** *Ehrhart.* P. 48.

Fragaria sterilis. L. W. 999, 8.

♃. 5, 6. In sylvaticis, præsertim calcareis, ubique frequens. — Habitus Fragariæ, flagellis autem reptantibus destituta; herba undique villosa; fructus exsucci.

650. **P. palustris.** *Scopoli.*

Comarum palustre. L. P. 1245, 1. W. 1004, 1.

♃. 6, 7. In fossis uliginosis, turfosis abundat. — Folia quinata; flores atro-purpurei.

651. **P. Tormentilla.** *Schrank.*

Tormentilla erecta. L. P. 1242, 1. W. 1001, 1.

♃. 6, 7. In pascuis, sylvaticis ubique. — Folia ternata, subsessilia; caules decumbentes, raro erecti.

652. **P. nemoralis.** *Nestler.*

Tormentilla reptans. L. P. 1242, 2. W. 1001, 2.

♃. 6—8. In sylvaticis, pascuis rarior: *Bielefeld* in monte *Altenberg*, A.; frequens prope *Bentheim im Walde!* — Caules flagelliformes, omnino prostrati; non radicantes; folia ternata, petiolata, foliolis obovatis, nec lanceolatis; flores quam in præcedente paulo majores, saturatius aurei. Qui hanc priori ceu varietatem subscribit, certe veram non vidit.

231. GEUM. L. P. 1243. W. 1002.

653. **G. urbanum.** L. P. 3. W. 3.

♃. 5—7. In sylvaticis, dumetis, ad sepes ubique. — Flores erecti, petalis luteis; seminum aristae nudæ.

654. **G. rivale.** L. P. 7. W. 5.

♃. 5—7. In pratis et nemorosis humidis: *Dülmen im Haselbruch*, N.!; *Rheine*, M.; *Wadersloh! Oelde!* alibique. — Flores cernui, petalis luteo-purpurascentibus; seminum aristae medio geniculato-flexuosae, pilosae.

CLASSIS XIII.

# POLYANDRIA.

## MONOGYNIA.

---

232. ACTÆA. L. P. 1250. W. 1011.

655. A. spicata. L. P. 1. W. 1.

♃. 6, 7. In umbrosis montosis calcareis; *Warendorf*, *Nic.; Lengerich* et *Tecklenburg*, B.; *Uehrendorf*, A.! — Folia triternata; racemus terminalis, ovatus; flores albi; baccae purpureo-nigrae.

233. CHELIDONIUM. L. P. 1253. W. 1014.

656. C. majus. L. P. 1. W. 1.

♃. 5—9. Ad sepes, muros, vias ubique. — Flores aurei; siliqua torulosa. Herba succo croceo scatet.

234. PAPAVER. L. P. 1255. W. 1015.

657. P. Argemone. L. P. 2. W. 2.

☉. 6—8. In agris, praecipue lutosis, frequens. — Capsula clavata, hispida.

658. P. dubium. L. P. 6. W. 6.

☉. 6—8. Inter segetes fere ubique. — Capsula clavato-oblonga, glabra.

659. P. Rhoeas. L. P. 5. W. 5.

*β. strigosum*, *Nobis.*

*γ. tenuifolium*, *Nobis.*

☉. 6—9. In agris et arvis, cum prioribus, ubi-

que; β ad ripas *Rheni*, nec non prope *Münster! Velen! Coesfeld!* alibique haud rarum. — Capsula subglobosa, glabra. Varietas β discrepat tantum pilis pedunculorum arcte adpressis, qui in vulgari omnes patentes sunt. Alias differentias constantes in hac planta satis variabili, iterata ambarum comparatione, detegere non potuimus, unde eam ceu meram varietatem enumerandam, diagnosin vero emendandam putamus. Varietas γ, locis sabuloso-turfosis obvia, foliis caulinis tenuissime divisis, laciniis fere setaceo-linearibus, pilis pedunculorum, uti in β, adpressis, memorabilis, neque tamen specie distinguenda videbatur. Cultum in hortis praeterea mire variat floribus plenis atque variis coloribus, *Ranunkel-Papaver* vulgo auditum.

660. **P. somniferum.** L. P. 8. W. 7.

☉. 6, 7. Colitur, atque quasi spontaneum occurrit in agris montosis argillosis inter *Coesfeld* et *Billerbeck!* — Flores in spontaneo semper lilacini, semina fusca; in culta tantum flores albos seminaque alba vidimus.

### 235. NYMPHÆA. L. P. 1258. W. 1019.

661. **N. alba.** L. P. 4. W. 3.

♃. 6—8. In aquis, piscinis, fluviis frequens. — Folia magna, profunde cordata; flores pulcherrimi, candidi.

### 236. NENUPHAR. *Hayne.*

662. **N. lutea.** *Hayne.*

Nymphaea lutea. L. P. 1258, 1. W. 1019, 1.

♃. 6, 7. In aquis tam stagnantibus quam fluentibus ubique. — Folia praecedentis; flores aurei. In

fossis turfosis occurrit varietas minor, caeterum nullo pacto a vulgari diversa.

## 237. TILIA. L. P. 1270. W. 1028.

663. **T. parvifolia.** *Hoffmann.*

T. europaea $\gamma$ L. P. 1. W. 1$\gamma$.

♄. 7. In sylvaticis umbrosis, praesertim calcareis haud infrequens. — Flores plures, inodori, stigmate patulo; fructus obliquus; folia quam in sequentibus minora, supra saturate viridia, subtus glaucescentia, petiolos aequantia, pube in axillis venarum ferrugineo.

664. **T. vulgaris.** *Hayne.*

T. europaea. *Willd.* W. 1. *(ex parte.)*

♄. 6, 7. In sylvaticis raro, ubique vero in ambulacris et ad pagos vulgaris. — Rami juniores glabri; folia supra nuda, subtus in venarum axillis pube cano; pedunculi folia subaequantes; stamina basi libera; fructus fere glaber subpentagonus.

665. **T. pauciflora.** *Hayne.*

T. europæa $\beta$ grandifolia. *Pers.* P. 1$\beta$.

♄. 5, 6. In sylvaticis non rara; copiose versus *Lütjenbeck et Wolbeck!* nec non in ambulacris ubique. — Ramuli juniores villosi; folia maxima, pubescentia; petioli breves pubescentes; pedunculi plerumque bi aut triflori, floribus majoribus odoratis; stamina basi connata; fructus quinquecostatus. Arbor jam e longinquo colore opaco dignoscenda, alibi inter rariores atque vix indigena censetur, apud nos præ aliis vulgata, solo præsertim lutoso in aggeribus ambarvalibus frequens occurrit.

## 238. HELIANTHEMUM. *Miller.* P. 1314.

666. **H. vulgare.** *Gærtner.* P. 69.

Cistus Helianthemum. L. W. 1048, 72.

♃. 6—8. In pascuis montosis apricis, præcipue calcareis: *Bielefeld* in montibus *Altenberg et Sparenberg* copiose, A.! — Caules procumbentes hirti; folia elliptica, pilosa, subtus tomentosa; flores speciosi, lutei, ephemeri.

## TRIGYNIA.

### 239. DELPHINIUM. L. P. 1327. W. 1061.

667. **D. Consolida.** L. P. 1. W. 1.

☉. 6—7. In agris, præcipue argilloso-calcareis, vulgare: *Coesfeld*! *Darup! Billerbeck!* etc. — Folia lineari-multipartita: flores racemosi, speciosi, cyaneo-violacei.

### 240. ACONITUM. L. P. 1328. W. 1062.

668. **A. Lycoctonum.** L. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. In sylvaticis nemorosis: inter *Hiddingsel* et colonum *Beerenbrock*, N.! — Folia palmata, subvillosa; flores sulphurei, villosi, galea elongata compressa.

## PENTAGYNIA.

### 241. AQUILEGIA. L. P. 1334. W. 1268.

669. **A. vulgaris.** L. P. 2. W. 2.

♃. 6—7. In sylvaticis, dumetis calcareis: *Notteln*, N.!; *Darup! Nienberge!* — Flores nutantes, speciosi, plerumque violacei; vidimus autem etiam in spontaneis flores albos, roseos, atque ex albo et roseo varios.

### 242. NIGELLA. L. P. 1335. W. 1069.

670. **N. arvensis.** L. P. 3. W. 3.

⊙. 7, 8. Inter segetes, in agris fertilioribus ad *Rhenum!* — Folia pinnatisecta, laciniis linearibus; flores cyanei, stylis 5 ad 7; capsulæ tres ultra medium connatae.

## POLYGYNIA.

### 243. ANEMONE. L. P. 1356. W. 1081.

671. **A. Pulsatilla.** L. P. 6. W. 6.

♃. 4, 5. In pascuis siccis arenosis: prope *Halteren* copiose, N.!; *Warendorf, Nic.; Wiedenbrück*! — Flos subnutans; petala patentia. Variat floribus azureis, violaceis et roseis.

672. **A. pratensis.** L. P. 7. W. 7.

♃. 4, 5. In pascuis herbidis apricis: ad ripas fl. *Emse* prope pagum *Eine, Nic.; Rheda!* — Priori valde similis, differt vero foliis adultis circumscriptione oblonga, nec rotundata, laciniis saepius integris falcatis, nec bi-tri-aut multifidis rectis, pinnis, praeter imparem, saepe 8 nec 10; petiolorum pilis adpressis, densis, nec sparsis, divergenti-inflexis; floribus duplo minoribus pendulis, petalis apice reflexis, demum atropurpureis, stamina longiora vix superantibus, nec erectis aut nutantibus, petalis violaceis aut dilute cœruleis rectis, staminibus duplo longioribus; denique involucri laciniis duplo fere latioribus.

673. **A. nemorosa.** L. P. 26. W. 23.

♃. 3—5. In umbrosis ubique. — Flores albidi seu rosei.

674. **A. ranunculoides.** L. P. 29. W. 26.

♃. 4, 5. In nemorosis montosis calcareis raro: *Ravensberg*, W.; inter *Bielefeld et Uehrendorf*, A.! — Flores, quam in præcedente minores, lutei.

675. A. Hepatica. L. P. 1. W. 1.

♃. 2—4. In sylvaticis et dumetis solo calcareo, haud frequens: *Warendorf, Nic.; Bielefeld* in monte *Altenberg*, A.!; ibidem *Jostberg! Stromberg! Nienberge!* — Folia triloba, subtus sæpius purpurascentia; involucrum triphyllum, calycem mentiens; flores cœrulei, rarius etiam rubri. Colitur in hortis flore pleno.

### 244. CLEMATIS. L. P. 1358. W. 1083.

676. C. Vitalba. L. P. 21. W. 17.

♄. 7—9. In dumetis, solo calcareo, vulgaris. — Caules flagelliformes, scandentes; folia pinnata; flores albi; seminum caudae plumosae, sericeae. Foliorum forma valde variabilis, aeque ac eorum magnitudo.

### 245. THALICTRUM. L. P. 1359. W. 1084.

677. T. minus. L. P. 10. W. 9.

♃. 6—8. In pascuis siccis ad ripas *Rheni:* copiose prope *Wesel! Rees! Emmerich!* — Planta habitu variabilis, indeque multis synonymis obruta. Facile autem a sequente discernitur statura minore, ramis paniculae patulis, foliis minoribus, saepius glaucescentibus, achaeniis majoribus utrinque acutis.

678. T. flavum. L. P. 18. W. 15.

*β. T. Wallrothii*, *Nobis.*

Thal. (anon.) *Wallroth sched. crit.* pag. 263.

♃. 6, 7. In dumetis, ad ripas: *Haltern*, N.!; *Handorf! Nobiskrug! Münster* versus *Lätjenbeck!;*

var. β ad ripas fl. *Stever* prope *Haltern!* — Praecedente multo major: caules angulato-sulcati; folia plerumque bipinnata, foliolis subcuneatis, apice saepius trifidis, subtus glaucescentibus; flores erecti, ochroleuci; achaenia parva, striata. Hoc in pratis interdum occurrit caule subsimplici, panicula angustiore subnuda, caeterum nullo modo diversum. Varietas autem, quam nomine primi descriptoris ornatam dubia mente huic subscripsimus, atque forsan novam speciem constituit, differt foliolis inferioribus obovato-cuneatis, trifidis, superioribus lanceolato-linearibus, acutis, staminibus antherisque multo longioribus, ut inde panicula multo densior appareat; capsulas ejus maturas nondum vidimus.

### 246. ADONIS. L. P. 1361. W. 1085.

679. **A. maculata.** *Wallroth.*

A. autumnalis miniata β. *Pers.* P. 2 * β.

A. aestivalis. *Willd.* W. 1.

⊙. 5—8. Inter segetes: *Warendorf* versus *Ennigerloh, am Hörkenberge, Nic.!* — Petala suboctona, ochroleuca, in basin violaceo-maculatam leviter attenuata; filamenta cum antheris atro-purpurea. Varietatem floribus miniato-phoeniceis in agro nostro lectam nondum vidimus.

### 247. RANUNCULUS. L. P. 1363. W. 1086.

680. **R. hederaceus.** L. P. 72. W. 59.

♃. 4—8. In uliginosis, praecipue turfosis, ubique frequens. — Caules repentes; folia subrotundo-triloba; flores minimi, albi.

681. **R. aquatilis.** *Allion.* W. 60.

*α. heterophyllus. Hoffmann.* P. 74.

*β. homoiophyllus.* *Nobis.* R. capillaceus. *Hoffm.* P. 75.

♃. 5—7. In aquis, *α* praecipue in profundioribus et stagnantibus; *β* in fluentibus et locis exsiccatis. — Folia inferiora submersa semper capillaceo-multifida, emersa, si adsunt, peltata, 3—5loba; flores albi, magnitudine, praecipue in posteriore, valde variabili.

682. R. rigidus. *Pers.* P. 76.

R. aquatilis *β*. *Willden.* W. 60 *β*.

♃. 6—8. In piscinis, fossis profundis satis frequens. — Praecedentis varietati homoiophyllae similis, differt autem, monente cl. *Wallroth,* caulibus semper albidis, vaginis abbreviatis, obsolete auriculatis, foliis circumscriptione rotunda, brevioribus, rigidis, sessilibus, pedunculis longioribus, carpellis denique utrinque leviter productis. Utrumque in eodem solo natali, sine formis intermediis, provenientem vidisse, testamur.

683. R. peucedanifolius. *Allion.*

R. fluviatilis. *Wiggers.* P. 77. W. 61.

♃. 5—7. In fluviis frequens. — Differt a praecedentibus primo intuitu foliis repetito di aut trichotome dissectis, laciniis parallelis longissimis, flabelliformibus, achaeniis glabris nec hispidis.

684. R. Myosurus. *Afzelius.*

Myosurus minimus. L. RS. 1272, 1. P. 758, 1. W. 599, 1.

☉. 4—6. In pascuis, arvis et agris humidiusculis: *Dülmen* prope *Thier zum Berge,* atque *im Haselbruch,* N.; *Coesfeld im hohen Felde! Münster!* alibique. — Folia omnia radicalia, linearia; scapus uniflorus; receptaculum longissimum, achaeniis confertissimis, (unde nomen); stamina plerumque quinque.

685. **R. Flammula.** L. P. 2. W. 1.

*β. R. reptans.* L. P. 3. W. 2.

*γ. R. Fl. intermedius. Nobis.*

♃. 5—9. In pratis humidis, palustribus ubique; *β* in fossis lutosis exsiccatis, ad ripas fluviorum passim; *γ* in sylvaticis humidis umbrosis. — Caulis plerumque erectus, interdum decumbens, aut rarius, uti in *β* et *γ*, declinatus radicans; folia radicalia longius petiolata, ovata, in *β* lineria, caulina superiora sessilia, angusta; flores parvi, lutei. Var. *γ*, in umbrosis humidis, praesertim lutosis aut argillosis occurrens, omnino intermedia inter R. Flammulam et R. reptantem, a priore diversum caulibus valde elongatis, saepe bipedalibus, radicantibus, a posteriore statura majore, validiore, foliisque latioribus.

686. **R. Lingua.** L. P. 1. W. 3.

♃. 6—8. In fossis, paludosis, praecipue turfosis: *Dülmen bei der Entenkoi*, N.! *Coesfeld bei der Klinke! Bentheim!* alibique. — Præcedente multo major, caule pubescente, floribus maximis intense luteis, nitentibus.

687. **R. Ficaria.** L. W. 12.

Ficaria ranunculoides. *Mœnch.* P. 1362, 1.

♃. 3—5. In umbrosis humidiusculis ubique, nec non in agris argillosis prope *Darup! Coesfeld!* vitium difficillime exstirpandum. — Calyx plerumque triphyllus; corolla octopetala; flores sæpius steriles. Planta tuberibus radicalibus atque bulbillis in foliorum axillis orientibus propagatur. Alibi, quantum scimus, hæc planta nunquam in agros excurrit; in nostratibus autem nullam prorsus invenimus differentiam a vulgari.

688. **R. auricomus.** L. P. 22. W. 17.

♃. 3—5. In sylvaticis, pascuis, ad sepes vulgaris. — Folia radicalia plerumque lobata, caulina superiora profunde partita, laciniis linearibus; flos aureus. R. cassubicus L., foliorum superiorum laciniis dentatis distinctus, ne quidem varietatis notam mereri videtur.

689. R. sceleratus. L. P. 25. W. 20.

☉. 6—8. Ad ripas fluviorum, in fossis lutosis nimis vulgaris. — Caulis varia magnitudine, erectus; folia tripartito-lobata; achænia minima in spicam elongatam disposita.

690. R. repens. L. P. 56. W. 43.

♃. 5—8. In sylvaticis, pratis et agris ubique copiose. — Planta nunc glabra, nunc adpresso-pubescens, nunc vero patentim hirsuta, sæpius prostrata, flagellis repentibus aucta, haud acris, suibus præcipue grata et salutaris.

691. R. polyanthemus. L. P. 57. W. 44.

β. *R. nemorosus. Decandolle.*

♃. 5—7. In sylvaticis umbrosis rarior: *Darup in der Mark! Coesfeld* versus prædium *Lohburg!* atque proculdubio pluribus locis, cum sequente confusus, a quo differt: pubescentia patente, pedunculis sulcatis, achæniis paucioribus marginatis atque receptaculo piloso. R. nemorosus *Decand.* eadem esse videtur planta, in umbrosis humidis enata, foliorum lobis latioribus atque hirsutie majore vix distinguenda.

692. R. acris. L. P. 58. W. 45.

♃. 5—7. In pratis, pascuis et sylvaticis ubique. — Folia 3—5partita, partitionibus angustis, plerumque acutis, incisis; pedunculi teretes; receptaculum glabrum.

693. **R. lanuginosus.** L. P. 61. W. 47.

♃. 6—8. In sylvaticis montosis: ad viam inter *Brackwede* et *Bielefeld*, A.; *Darup am Baarholz* semel! — Præcedentibus major; caulis hirsutissimus; folia profunde incisa, molliter pilosa, callo pallido ad sinus; pedunculi fistulosi, teretes.

694. **R. bulbosus.** L. P. 47. W. 40.

♃. 5—7. In pratis et pascuis siccioribus non rarus. — Radix perennis, bulbosa; calyx reflexus. Magnitudine apud nos raro spithamam superat.

695. **R. Philonotis.** *Ehrhart.* W. 41.

R. hirsutus. *Aiton.* P. 48.

☉. ♂ 5--7. In pascuis humidis, ad agrorum margines: prope *Lengerich*, B.; *Münster! Darup! Coesfeld* copiose *am Wege nach Lette!* — Herba pallide viridis, pilis patentibus hirsuta; calyx reflexus; achaenia margine tuberculata.

696. **R. arvensis.** L. P. 80. W. 52.

☉. 5—7. In agris, praecipue argillosis, copiose. — Achaeniis margine et disco aculeatis a congeneribus facile distinguendus.

248. ERANTHIS. *Salisbury.*

697. **E. hyemalis.** *Salisb.*

Helleborus hyemalis. L. P. 1366, 1. W. 1089, 1.

♃. 2, 3. In umbrosis humidiusculis: prope *Havixbeck!* — Radix bulbosa; flos flavus, folio radicali peltato multifido insidens.

249. HELLEBORUS. L. P. 1366. W. 1089.

698. **H. viridis.** L. P. 4. W. 4.

♃. 3—6. In hortis rusticorum frequens, nec non in sylvaticis umbrosis passim: *Darup im Borupper Holze*, N.! prope *Uehrendorf*, A.; pluribusque locis *im Teutoburger Walde!* — Folia radicalia petiolata, digitata, caulina vaginata sessilia; flores cernui, virides, sepalis persistentibus.

### 250. CALTHA. L. P. 1367. W. 1090.

699. **C. palustris.** L. P. 2. W. 1.

♃. 5, 6. In pratis humidis, ad fossas ubique. — Folia cordata, crenata; flores magni aurei.

## CLASSIS XIV.

# D I D Y N A M I A.

## G Y M N O S P E R M I A.

### (*Tomogynia Rich.*)

---

### 251. AJUGA. L. P. 1371. W. 1092.

700. A. pyramidalis. L. P. 3. W. 3.

♃. ☿. 5—7. In sylvaticis montosis: *Lengerich* prope prædium rusticum *Stapenhorst*, B. — Folia radicalia maxima, floralia integra, colorata; calyces ultra medium quinquefidi; stolones nulli.

701. A. genevensis. L. P. 5. W. 5.

♃. ☿. 5, 6. In pascuis sterilibus, versuris prope *Rees! Emmerich!* haud frequens. — Folia radicalia minora; floralia leviter trilobata; stolones nulli.

702. A. reptans. L. P. 6. W. 6.

♃. 5—8. In sylvaticis, pascuis vulgaris. — Bractearum magnitudo insigniter variat pro soli indole; nunc enim flores duplo superant, nunc illos vix æquant, sæpius virides, non raro etiam subcoloratae occurrunt. Simili modo caulis pubescentia incertas praebet differentias. Singularis denique varietas est illa, quam in solo pinguiore locis adumbratis ad margines viae publicae inter *Wiedenbrück* et *Stromberg* vidimus, caule florifero prostrato, locoque stolonum, qui deerant, radicante, foliis radicalibus, ut in A. pyramidali, maximis, caulem superantibus.

703. A. Chamæpitys. *Smith.* P. 7. W. 7.

⊙. ♂. 4—6. In pascuis siccis, montosis calcareis: *Nienberge*, H. et K.! *Altenberge! Warendorf am Hörkenberge*, Nic. — Folia profunde trifida, linearia; flores axillares, solitarii, flavi.

## 252. TEUCRIUM. L. P. 1372. W. 1093.

704. **T. Botrys.** L. P. 6. W. 5.

⊙. ♂. 6—8. In agris, arvis siccis calcareis: *Nienberge*, H.! versus *Altenberge! Bielefeld* in montibus *Sparenberg* et *Altenberg*, A.! — Folia pinnatisecta; flores subterni, axillares, purpurei.

705. **T. Scorodonia.** L. P. 30. W. 28.

♃. 7, 8. In sylvaticis siccis strips vulgatissima. — Folia rugosa; flores pallide flavi, secundi, staminibus violaceis.

706. **T. Scordium.** L. P. 36. W. 34.

♃. 7—9. In uliginosis, palustribus rarius: *Münster auf Maurizheide*, H. et K.; ibidem in pratis *vor Aegidii Thor!*; *Lengerich* in pratis prope *Voortlage* B. — Herba allium redolet; flores axillares, gemini, purpurei.

707. **T. Chamædrys.** L. P. 38. W. 36.

♃. 6—8. In arvis, pascuis calcareis raro: *Neuenberge*, H.!; *Altenberge!* — Flores axillares, utrinque saepius terni, purpurei; folia inciso-crenata.

## 253. SATUREJA. L. P. 1373. W. 1094.

708. **S. hortensis.** L. P. 8. W. 8.

⊙. 7—9. Colitur copiose in hortis rusticorum sub nomine vernaculo *Bohnenkraut*, indeque sæpe quasi spontanea in cultis inter olera obvia venit. —

Tota plerumque atro-purpurea, caule ramosissimo, corollis purpurascentibus.

254. NEPETA. L. P. 1378. W. 1097.

709. N. Cataria. L. P. I. W. 1.

♃. 6—8. In dumetis, ruderatis passim, ast rarior: *Dülmen* prope colonum *Horstmann*, N.; *Lüdinghausen am Richthause! Dorsten! Lippstadt!* — Herba subincano-tomentosa, odorata; folia cordata, æqualiter serrata; spica verticillata, floribus albis, labio rubescente, punctato.

255. VERBENA. L. P. 1424. W. 56.

710. V. officinalis. L. P. I. W. 20.

♃. 6—9. Ad vias, in ruderatis ubique vulgata. — Folia lyrato-pinnatifida; spicæ terminales, paniculatæ, filiformes, multifloræ; flores parvi, pallide purpurei; stamina 4, brevissima, inclusa.

256. MENTHA. L. P. 1382. W. 1102. *)

711. M. sylvestris. L. P. 3. W. 2.

♃. 6—9. In ruderatis, ad sepes, ripas, agrorum margines passim: *Dülmen in der Steingrube*, nec non in *Daldrup*, N.! frequentior versus *Rhenum!* ad ripas fl. *Vechte!* — Flores spicati; folia lanceolata, acute inæqualiter serrata, subtus incano-tomentosa.

---

*) Mentharum genus, præ aliis multis dubiis obrutum, nunc demum monographum habet cl. *Opiz*, cujus opus nondum e prelo egressum esse, valde dolemus. Numerus specierum, etiam nostratum, valde augebitur, pluresque ab ipso auctore l. determinatae jam prostant, quae vero etiamnum reticendae videbantur.

712. **M. incana.** *Willd. Enum.*

♃. 7—9. Ad margines fossarum, et in versuris rarior inter *Wesel* et *Rees!* — Praecedenti affinis, differt spicis continuis, nec interruptis, corollis roseis, staminibus exsertis, foliis minoribus, angustioribus, utrinque incano-tomentosis.

713. **M. nemorosa.** *Willd.* W. 3.

M. sylvestris. L. Var. *Pers.* P. 3 β.

♃. 7—9. In umbrosis humidis rarior: *Dissen! Coesfeld hinter dem Bauland!* — Folia ovalia, magna, grosse subaequaliter serrata, subtus incano-tomentosa.

714. **M. rotundifolia.** L. P. 12. W. 8.

♃. 7—9. In pascuis, versuris, ad vias: copiose versus *Wesel! Rees! Anholt!* — Praecedentibus hirsutior, spicis angustioribus hirsutis, foliis elliptico-rotundatis, rugosis, supra pilosis, subtus villosis.

715. **M. viridis.** L. P. 10. W. 7.

♃. 7, 8. Ad margines fossarum, locis humidis non frequens: *Dülmen* prope *Berning, Hiddingsel,* N.; *Wiedenbrück!* versus *Rhenum* fluvium! — M. sylvestri similis, differt vero spicis angustioribus, foliis utrinque glabris.

716. **M. crispata.** *Schrader.*

♃. 7, 8. Ad fossas: *Coesfeld* versus praedium *Lohburg*! *Dülmen* prope *Kutscher Johann!* — Differt a M. crispa vera, quacum saepe confunditur, floribus spicatis, nec capitatis. Folia, ut in illa, acute dentata, crispa.

Obs. M. piperitam L., in hortis rusticorum saepe obviam, nunquam vero spontaneam lectam, de industria omittimus.

717. **M. aquatica.** *auctorum* (non L.) P. 14. W. 11.

♃. 7—9. In fossis, rivulis, palustribus ubique. — Flores capitati, terminales; saepe vero verticillum unum alterumve infra capitulum. Caeterum planta valde polymorpha habitu, colore et odore, ut innumerae de illa varietates enumerari possint.

718. **M. hirsuta.** *Fl. Wetter.* (fide speciminum.)

♃. 7, 8. In nemorosis, dumetis humidis, ad fossas passim non rara. — Flores verticillati; folia exacte ovata, basi rotundata; pedicelli calycesque hirsuti.

719. **M. acutifolia.** *Smith.* P. 20. (?)

*β. M. Nummularia. Schreber.*

♃. 8. In pascuis humidis, ad fossas: *Coesfeld auf dem Brink!* β in umbrosis humidis prope *Darup im Rorupper Holze* rarissima!. — Verticillata, glabriuscula, angulis tantum caulis prominulis pilis arcte deflexis obsitis; stamina corollam subaequantia; pedicelli pilis brevibus rigidis reflexis, calyces similibus antrorsum directis inspersi; folia oblonga, acuta, utrinque attenuata, basi integra, utrinque glabra, margine subtusque ad venas prominulas pilis raris adpressis. M. Nummularia, quam dubitantes huic subscribimas, facile dignoscitur foliis inferioribus minoribus orbiculatis.

720. **M. gentilis.** L. P. 17. W. 16.

♃. 7—9. In pratis humidis atque fossis: *Münster*, H.! *Wesel!* — Flores verticillati, pedicellis calycibusque basi glabris; corolla dilute purpurea, staminibus inclusis; folia conformia, ovata, serrata; caulis ramosus patulus.

721. **M. austriaca.** *Jacquin.* P. 21. W. 18.

♃. 7—9. In pascuis humidis ericetoso-turfosis

non rara. — Verticillata; florum pedunculi elongati; stamina corolla breviora; folia utrinque attenuata, ovalia, caulesque erecti sæpe purpurascentes. Magnitudine raro 1/2 pedem superat. Sequenti valde affinis videtur.

722. M. arvensis. L. P. 22. W. 17.

*β. cæspitosa*, *Nobis.*

*γ. parviflora*, *Nobis.*

*δ. radicans*, *Nobis.*

♃. 6—9. In arvis, pascuis et sylvaticis ubique frequens. — Planta valde polymorpha, cujus eminentiores nequidem formas omnes enumerare per spatium licet, plerumque calyce brevi, campanulato, pilis patentibus obsito, atque pedicellis glabris, dignoscenda. Ab hoc vero archetypo labuntur illæ, quas ceu varietates dubia mente priori subscripsimus. Differt autem var. β caulibus erectis, cæspitem densum formantibus, foliisque mollissime incano-villosis, calycibus pedicellisque undique pilis longis hirsutis. Var. γ distinguitur caule adscendente, ramis ramosis divaricatis, calycibus pedicellisque hirsutis, corolla minutissima, alba, calycem vix superante. Var. δ denique discrepat caulibus filiformibus, divergentibus, depressis, internodiis foliis rhomboideo-ovatis longioribus, florum verticillis omnibus radices emittentibus.

723. M. Pulegium. L. P. 24. W. 20.

*β. heterophylla*, *Nobis.* (Pulegium heterophyllum. *Opiz. in litt.*)

*γ. pubescens. Nobis.* (Pulegium pubescens. *Opiz in litt.*)

♃. 7, 8. In pascuis humidis lutosis, locis hyeme inundatis, frequens. — Caules plerumque simplices

adscendentes; verticilli numerosi, densi, multiflori, versus apicem sensim minores. In vulgari folia conformia, ovata; in β folia superiora rotundato-ovata, inferiora lanceolata; varietas γ autem omnibus partibus duplo minor, caule ramoso foliisque molliter incano-pubescentibus, corolla calycem vix excedente a prioribus magis recedit, atque novam fortasse speciem constituit.

### 257. GLECHOMA. L. P. 1387. W. 1105.

724. **G. hederaceum.** L. P. 1. W. 1.

♃. 4—8. In dumetis, ad sepes ubique. — Variat florum colore atque magnitudine, caulibus repentibus, erectiusculis, glabriusculis atque pilis strigosis scabris. Flores primarii plerumque steriles ob defectum antherarum.

### 258. LAMIUM. L. P. 1388. W. 1106.

725. **L. rubrum.** *Wallroth.*

L. maculatum. *autor. quorundam.*

♃. 4—9. Ad sepes, passim frequens: *Münster! Lippstadt!* alibique. — Verticilli 10—12flori; calycum dentes inæquales, superiores majores; flores magni, purpurei. Hocce Lamium à L. maculato L. diversum esse, demonstravit cl. autor laudatus, neque nos unquam in nostrate folia albo maculata vidisse recordamur. Specimina insuper ad ripas Rheni lecta a nostratibus differunt foliis magis acuminatis, minus grosse serratis, floribusque majoribus.

726. **L. album.** L. P. 8. W. 6.

♃. 4—9. In dumetis, ad sepes ubique. — Verticilli 20flori; flores albi.

727. **L. purpureum.** L. P. 10. W. 8.

☉. 4—9. In cultis et agris copiose. — Differt præcipue statura minore, foliis obtusis, superioribus confertis, deorsum flexis, atque floribus multo minoribus, purpureis.

728. **L. incisum.** *Willden.* P. 10β. W. 9.

L. westphalicum. *Weihe. (bot. Zeit. 1822.)*

☉. 2—5, atque iterum 9—11. In sepibus, cultis et agris præcipue argillosis: prope *Coesfeld! Darup! Billerbeck! Notteln! Münster!* alibique. — A præcedente foliis patentissimis, nunquam reflexis, profunde incisis, calycibus undique pilosis, dentibus eorum longioribus, corollæ fauce globoso, nec basi producto, abunde diversum. A L. inciso in Helvetia lecto planta nostra primo intuitu corolla duplo triplove majore distincta videbatur; vidimus autem nuper illam mense Januario adhuc florentem, floribus solito multo minoribus, pallide purpurascentibus, ita ut nullo prorsus discrimine a priore differebat. Memorabile videtur, hanc plantam ineunte æstate plane evanescere, hyeme miti autem ab autumno inde usque in ver lætissime vigere.

729. **L. amplexicaule.** L. P. 12. W. 12.

☉. 3—9. In cultis et agris ubique. — Folia superiora amplexicaulia, rotundata; flores nonnisi sudo expansi, graciles, purpurei.

### 259. GALEOBDOLON. *Smith.* P. 1389.

730. **G. luteum.** *Smith.*

G. vulgare. *Pers.* P. 1. Leonurus Galeobd. *Willd.* W. 1112, 4.

♃. 4—6. In umbrosis humidiusculis, præcipue argillosis, frequens. — Corolla speciosa, lutea.

## 260. GALEOPSIS. L. P. 1390. W. 1107.

731. G. Ladanum. L. P. 1. W. 1.

*β. G. angustifolia.* *Hoffm.* P. 2.

⊙. 7,8. In agris, arvis, præcipue calcareis vulgaris; *β* ad ripas *Rheni* in pascuis sterilibus. — Caulis ramosus, internodiis æqualibus; folia lanceolata; flores speciosi, purpurei; calyces brevius dentati. Var. *β* omnibus partibus gracilior, foliis linearibus. Prior insuper variat caule ramosissimo abbreviato, foliisque densis, latioribus, incano-tomentosis.

732. G. ochroleuca. *Lamarck.* P. 4.

G. grandiflora. *Ehrhart.* W. 2.

⊙. 7—9. In agris, arvis et ambarvalibus, præcipue arenosis, abundanter. — Planta hæc, sub titulo *Liebersche Kräuter* nuper medica facta, differt a præcedentis varietate latifolia: foliis ovato-lanceolatis, lineatis, utrinque incano-tomentosis; calycum pube patente, glandulis stipitatis intermixtis, eorumque dentibus latioribus, brevioribus; corolla sulphurea, calyce quinquies longiore, in tubum longiorem producta; bracteis linearibus, calyce triplo brevioribus.

733. G. cannabina. *Withering.* W. 4.

G. versicolor. *Curtis.* P. 5.

⊙. 7—9. In arvis arenosis haud infrequens. — A præcedente, cui corolla maxima sulphurea similis, facile discernitur labii inferioris lobo medio latiore violaceo, calycis dentibus inæqualibus.

734. G. Tetrahit. L. P. 6. W. 3.

⊙. 7—9. In agris et dumetis ambarvalibus copiose. — Folia ovata, basi rotundata; flores quam in præcedentibus multo minores, ochroleuci, albi, rosei

aut purpurei, labii inferioris lobo medio apice rotundato, crenulato-crispo, varie picto. Aestate flores plerumque purpureos, autumno vero maxima ex parte pallidiores observavimus.

735. G. bifida. *Nobis.*

⊙. 7—9. Cum priore satis frequens ubique. — Præcedenti valde similis, differt tamen constanter: foliis basi magis productis, corolla sæpius purpurea, graciliore, præcipue vero labii inferioris lacinia intermedia angustiore, apice bifida, postice lineis binis paralellis aureis picta, antice immaculata, margine pallidiore, propter latera demum revoluta angustissima, nec ut in illa latiuscula semper apice reflexa. Cum G. pubescente *Besser,* (G. Walterina *Schlechtend.*) caule foliisque subtus molliter pubescentibus, in agro nostro nondum observata, commutari nequit.

261. BETONICA. L. P. 1391. W. 1108.

736. B. stricta. *Aiton.* P. 2. W. 2.

♃. 6—8. In sylvaticis, pascuis et pratis, præcipue calcareis: *Münster* versus *Neuenberge! Stromberg! Oelde! Beckum!* — Quam amici heic indicavere B. officinalem L., distinctam spica laxiore, calycibus glabris, brevioribus, corollis elongatis, caule minore, in montosis elatioribus degentem, apud nos plane desideramus.

262. STACHYS. L. P. 1392. W. 1109.

737. S. sylvatica. L. P. I. W. I.

♃. 6—8. In dumetis, sepibus et nemoribus ubique vulgaris. — Odor plantæ ingratus; corolla fusco-sanguinea. Variat interdum, atque, uti videtur, præ insectorum injuria, racemo coma foliosa coronato.

738. S. palustris. L. P. 7. W. 4.

♃. 6—8. In palustribus, ad fluviorum ripas, nec non passim in agris vitium nimis frequens. — Folia lineari-lanceolata; corolla purpurea, labio inferiore variegato; bracteae nunc floribus minores, nunc eos longe excedentes. S. segetum *Hagen* nullo discrimine constanti differt, neque varietatis nomen mereri videtur.

739. S. germanica. L. P. 10. W. 6.

♃. 6, 7. In ruderatis, ad vias: *Bielefeld* in sepulcreto publico quasi sponte, A. — Planta undique lana densa albida obtecta; folia crenata; flores purpurascentes.

740. S. recta. L. P. 31. W. 21.

♃. 6—8. In ruderatis, ad vias, sepes, interdum etiam in arvis: *Wesel*! *Rees*! locisque vicinis haud rara. — Caules villosi, adscendentes, nec erecti; corolla ochroleuca, labio inferiore punctis rubris notato; verticilli multiflori.

741. S. annua. L. P. 34. W. 23.

⊙. 8, 9. In agris rarior: ad ripas *Rheni*! *Halle*! *Bielefeld*, A. — Verticilli subsexflori; corolla sulphurea, labio rubro-punctato; caulis erectus, scaber.

742. S. arvensis. L. P. 35. W. 24.

⊙. 6—8. In agris, præcipue argillosis et calcareis frequens. — Verticilli sexflori; corolla pallide rubens, calycem vix superans; folia ovato-cordata.

263. BALLOTA. L. P. 1395. W. 1110.

743. B. vulgaris. *Link.*

B. nigra. L. *(Sp. pl. ed. 2.)* P. 1. W. 1.

♃. 6—9. In ruderatis, ad sepes, muros: *Coesfeld! Billerbeck! Münster! Bentheim!* alibique. — Herba fœtens; flores apud nos semper purpurei.

264. MARRUBIUM. L. P. 1394. W. IIII.

744. **M. vulgare.** L. P. 9. W. 8.

♃. 6—8. In ruderatis, ad vias, solo sabuloso aut glareoso non rarum: *Huldern, Antrup*, N.! *Reken! Bentheim!* etc. — Planta tota lanata; folia rotundata; verticilli multiflori, villosissimi; corolla alba.

265. LEONURUS. L. P. 1396. W. 1112.

745. **L. Cardiaca.** L. P. 2. W. 2.

♃. 6—8. Ad sepes, muros, fere ubique, at nullibi frequens. — Folia subdecussata, superiora basi cuneata, apice trifida; corolla extus lanata albida, intus sanguineo-variegata.

266. CLINOPODIUM. L. P 1399. W. 1115.

746. **C. vulgare.** L. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. In dumetis, præsertim solo calcareo, ubique. — Verticilli pauci, remoti, multiflori; corolla purpureo-rosea; folia ovata.

267. ORIGANUM. L. P. 1401. W. 1116.

747. **O. vulgare.** L. P. 10. W. 10.

♃. 7—9. In ruderatis, ad sepes, præsertim solo calcareo et lutoso frequens. — Spicæ terminales, congestæ; bracteæ fusco purpureæ; corolla rosea, interdum alba.

268. THYMUS. L. P. 1405. W. 1117.

748. **T. Serpyllum.** L. P. I. W. I.

β. *T. subcitratus.* *Schreber.*

♄. 6—8. In ericetis, locis incultis ubique copiose. — Flores verticillato-capitati; corollæ tubus longitudine calycis; stamina plerumque inclusa; folia ovata, obtusa, subtus punctata. Varietas β passim intercurrit prope *Haltern! Rheine!* etc., atque præter odorem hujus generis variabilem non nisi foliis subrotundo-ovatis differt.

749. T. lanuginosus. *Schkuhr.* P. 2. W. 2.

♄. 6—7. In ericetis siccis rarissime: *Coesfeld* versus pagum *Stevede!* semel. — Planta undique incano-tomentosa, foliis subrotundo-ovatis, corollis longitudine calycis, staminibus inclusis. Præcedenti valde affinis, culta autem, uti asseritur, perstans atque ex seminibus immutata reveniens.

750. T. sylvestris. *Schreber.*

♄. 6—8. In sylvaticis montosis passim: *Bielefeld,* A.; *Havixbeck! Nienberge! Ravensberg!* — Præcedentibus plerumque major, floribus majoribus, staminibus exsertis, foliis ovatis, subtus nervosis, impunctatis diversus.

751. T. angustifolius. *Schreber.* P. 3.

T. Serpyllum var. angustifolius. *Willd.* W. 18.

β. *pulchellus*, *Nobis.*

♄. 7, 8. In sterilibus, præsertim arenosis frequens: *Bielefeld* ad pedem montis *Johannisberg,* A.; *Halteren! Coesfeld! Rheda! Warendorf!* etc. — Distinctissimus a congeneribus nostratibus: foliis constanter lineari-lanceolatis, interdum apicem versus latioribus, subtus venosis; floribus calycem longe superantibus, staminibus exsertis. In varietate nostra β

corolla albida ad faucem punctis roseis eleganter picta, stamina longissima.

### 269. ACINOS. *Moench.* P. 1406.

752. A. vulgaris. *Pers.* P. 1.

Thymus Acinos. L. W. 1117, 10.

β. *A. villosus.* *Pers.* P. 2.

☉. (♂?) 5—8. Ad ripas elatiores fluviorum frequens; β in pascuis siccis calcareis. — Planta magnitudine, habitu et colore, interdum omnibus partibus saturate rubris, valde variabilis. Folia acutiuscula, antice dentata, utrinque producta; calyces profunde sulcati, pedicellis pubescentibus; var. β undique villo albo aut rubescente densiore obsita. Radix autoribus annua; nos sæpe eam, præsertim in β, perennantem vidimus.

753. A. diffusus. *Nobis.*

♂? ♃? 6—8. In arvis calcareo-argillosis prope *Nienberge!* et *Altenberge*! haud frequens. — Hunc præcedenti ceu varietatem subscribere non possumus; differt enim abunde: habitu graciliore, statura multo minore; caule abbreviato omnino prostrato, sæpe radicante, ramis tantum more Serpylli adscendentibus; foliis exacte ovatis, obtusis, integerrimis, subtus tantum ad nervos parce pubescentibus, cæterum glabris; pedicellis hispidis; calycibus minoribus, minus profunde sulcatis; corollis amplioribus, saturatioribus. Planta magis accedere videtur ad A. alpinum, ex agro nostro exulem.

Obs. Melissam officinalem L., in sylvaticis umbrosis prope *Lüdinghausen* indicatam, nimis vero dubiam, reponendam putamus.

### 270. SCUTELLARIA. L. P. 1418. W. 1124.

754. **S. galericulata.** L. P. 9. W. 6.

♃. 6—9. In umbrosis humidis, ad fossas vulgaris. — Flores cœrulei, subinde dilute purpurei; calyx fructifer squama operculatus.

755. **S. minor.** L. P. 11. W. 8.

♃. 8, 9. In umbrosis humidis rarior: *Tecklenburg*; B.; *Schermbeck*! *Bentheim im Walde*! — Praecedente multo minor atque gracilior, foliis inferioribus minimis subreniformibus, floribus solitariis, exiguis, pallide roseis, labio inferiore punctis sanguineis picto.

### 271. PRUNELLA. L. P. 1419. W. 1125.

756. **P. vulgaris.** L. P. 1. W. 1.

♃. 6—9. In pascuis, sylvaticis humidis ubique. — Flores plerumque violacei, variat autem corollis pallidioribus, carneis, immo et albis.

757. **P. parviflora.** *Lejeune.* *(Poiret?)*
P. vulgaris, *variet.* P. 1β. W. 1δ. (?)

♃. 6, 7. In pascuis humidiusculis, ad margines fossarum rarissime: *Bentheim an und in dem Walde*! — Hanc a P. vulgari, quacum promiscue crescit, specie distinguendam esse, vix dubitamus. Differt autem ab illa: caule humiliore, saepius ramoso; foliis in petiolum longius decurrentibus, undique pilis patentibus hirsutis; floribus quadruplo minoribus, calycem paulo tantum superantibus, gracillimis, albis, rarius pallide violaceis, temporeque florendi.

758. **P. grandiflora.** L. P. 3. W. 2.

♃. 7, 8. In pascuis calcareis: *Bielefeld auf der*

*Lutterbachwiese*, A. — Calycis labium superius trifidum; corolla speciosa, saturate violacea.

## ANGIOSPERMIA.

(*Atomogynia. Rich.*)

### 272. RHINANTHUS. L. P. 1457. W. 1131.

759. **R. Crista galli.** L. P. 3. W. 3.

☉. 5—7. In pratis, nec non inter segetes hyemales vitium nimis frequens. — Variat caule nigro, rigido, fragilissimo, foliis scaberrimis.

760. **R. minor.** *Ehrhart.* P. 4.

R. Crista galli β angustifolia. *Willd.* W. 3β.

☉. 5, 6. In pratis et pascuis, rarior: ad ripas fl. *Lippe!* et *Werse! Coesfeld bei der Klinke!* — Procul dubio specie a priore distinctus floribus duplo triplove minoribus, intense luteis, bracteis foliis concoloribus, caule semper graciliore. Quod vero cl. *Wallroth* de caule immaculato, dentibus corollae concolori-pallescentibus, pistilloque incluso certum desumsit discrimen, hoc interdum in nostratibus fallit. Occurrit varietas caule basi tantum ramoso, floribus valde confertis, fere glomeratis, habitu a vulgari recedens.

761. **R. villosus.** Pers. P. 5.

R. Crista galli γ. *Willden.* W. 3γ.

☉. 6—8. In agris et ambarvalibus: *Bielefeld*, A.; ad ripas *Rheni!*, ubi etiam in pratis obvius venit; extra fines copiose in *Ducatu Westphaliæ!* — A priore praecedentium, cui similis, facile discernendus calyce undique villoso, habitu laxiore, staturaque saepe majore.

## 273. EUPHRASIA. L. P. 1454. W. 1132.

762. **E. officinalis.** L. P. 3. W. 2.

E. Rostkoviana. *Hayne.*

⊙. 6—9. In sylvaticis, pratis et pascuis vulgaris. — Caulis ramosus, „hirtus" (*Smith.*); folia calycesque profundius incisi glanduloso-pubescentes; stigma cernuum. Hanc veram Linnaei E. officinalem esse, non dubitamus. — In hac nonnunquam observavimus lacinias laterales labii corollae inferioris obsoletas, nunc eas nempe intermediæ omnino aequales, nunc duplo angustiores, apice integras, nunc autem fere nullas, dente utrinque unico abbreviato earum locum tenente; hisce igitur partibus nimium momenti haud tribuendum, lacinia intermedia autem multo constantior esse videtur.

763. **E. nemorosa.** *Pers.* P. 3β.

E. officinalis. *aut. plurim.*

⊙. 6—9. Cum priore, illoque fere frequentior. — Differt a praecedente: pube caulis deflexo-adpressa; foliis argute dentatis, dentibus apice setaceis; calycibus glabriusculis, omni pube glandulosa destitutis, minus profunde incisis; corolla plerumque minore; stigmate nutante; habitu denique semper graciliore. Ad hanc pertinere videtur E. salisburgensis, *Willd.* (*Hoffm. germ.*)

764. **E. Odontites.** L. P. 14. W. 6.

⊙. 6—8. In pratis, agris humidis, inter segetes ubique. — Flores secundi, calyce purpureo, corolla rosea, rarius etiam alba.

## 274. MELAMPYRUM. L. P. 1458. W. 1133.

765. **M. arvense.** L. P. 2. W. 2.

⊙. 6, 7. Inter segetes, solo calcareo et argilloso, vitium passim nimis frequens. — Spica terminalis, conica, formosa; bracteae purpureae, pinnatifido-dentatae; corolla clausa, flava, apice purpurascens.

766. **M. vulgatum.** *Pers.* P. 5.

M. pratense. L. W. 5.

⊙. 6—9. In sylvaticis, nemorosis copiose. — Aptius videtur synonymum Persoonii, quia planta sylvatica umbrosa multo magis inhabitat, quam prata, quo factum est, ut saepius cum M. sylvatico L., planta subalpina, corollis hyantibus distincta, confusa sit.

### 275. PEDICULARIS. L. P. 1460. W. 1137.

767. **P. palustris.** L. P. 1. W. 1.

♃. 5—7. In palustribus, pratis humidis, turfosis frequens. — Flores purpurei.

768. **P. sylvatica.** L. P. 2. W. 2.

♃. 4—6. In pascuis et sylvaticis humidiusculis ubique. — Praecedente humilior, caule depresso, calycibus inaequaliter quinquefidis, nec bipartitis, corollae galea apice acute bidentata diversa.

### 276. LINARIA. *Miller.*

769. **L. Cymbalaria.** *Miller.*

Antirrhinum Cymb. L. P. 1463, 1. W. 1144, 1.

♃. 5—10. In muris, ruderatis: *Münster*, H. et K.!; *Bielefeld! Velen!* — Caules Hederae ad instar radicantes, teneri; folia cordato-quinqueloba; flores solitarii, corolla violacea, palato flavo.

770. **L. Elatine.** *Miller.*

Antirrhinum Elatine. L. P. 1463, 6. W. 1144, 6.

*β. L. Elatine Peloria,* *Nobis.*

⊙. 7—9. In agris, arvis, præcipue argillosis et calcareis frequens; *β* Peloriam semel legimus prope *Darup im Höveler Felde!* — Caules procumbentes, interdum longissimi; folia hastata; flores lutei, galea violacea.

771. L. spuria. *Miller.*

Antirrhinum spurium. L. P. 1463, 8. W. 1144, 8.

⊙. 7—9. Similibus cum priori locis, ast rarior: *Stromberg,* W.! *Nienberge,* H. et K.!; *Warendorf,* *Nic.; Rees! Laar! Dissen! Velen!* etc. — Differt a præcedente simili foliis ovato-subrotundis, magis pilosis, habitu parum robustiore.

772. L. arvensis. *Miller.*

Antirrhinum arvense. L. P. 1463, 31. W. 1144, 31.

⊙. 6—8. In agris et arvis siccis raro: ad ripas *Rheni* prope *Rees et Emmerich! Halle, A.!* — Glauca, gracilis; calyces glanduloso-pilosi; flores exigui cœrulescentes, palato lutescente.

773. L. vulgaris. *Miller.*

Antirrhinum Linaria. L. P. 1463, 63. W. 1144, 55.

*β. L. prostrata,* *Nobis.*

*γ. Peloria.* L.

♃. 6—9. Ad sepes, agrorum margines, nec non in arvis et pascuis frequens; *β* in agris et pascuis sabulosis; *γ* rarior in locis subhumentibus. — Varietas *β* priori nimis affinis, quam ut eam specie ab illa disjungam; differt vero caule omnino prostrato, ramis floriferis tantum adscendentibus, foliis longioribus patentibus, nec strictis, calycibus majoribus, calcare nectarii pedicello quadruplo, in illa plerumque

duplo tantum longiore. In hac æque ac in vulgari Peloriam vidimus prope *Bocholt*.

774. **L. minor.** *Miller.*

Antirrhinum minus. L. P. 1463, 56. W. 1144, 50.

⊙. 6—8. In agris et arvis, etiam in muris vulgaris.— Caulis gracilis, pusillus, ramosus; flores solitarii, axillares, parvi, corolla violacea, labio albo, palato flavo.

### 277. ANTIRRHINUM. L. W. 1144.

775. **A. Orontium.** L. W. 65.

Orontium arvense. *Pers.* P. 1464, 3.

⊙. 7—10. In agris et arvis frequens. — Flores subsessiles, solitarii, carnei, labio roseo, palato flavo; capsula apice poris tribus dehiscens. Variat ad ripas *Rheni* non raro floribus albis.

### 278. SCROPHULARIA. L. P. 1470. W. 1152.

776. **S. nodosa.** L. P. 2. W. 2.

♃. 6—8. In nemorosis, dumetis, ad sepes ubique. — Caulis acute quadrangulus.

777. **S. aquatica.** L. P. 3. W. 3.

♃. 6—9. In fossis, ad ripas passim, haud rara. — Praecedente major, caule alato, foliis in petiolum decurrentibus.

### 279. DIGITALIS. L. P. 1474. W. 1155.

778. **D. purpurea.** L. P. 1. W. 1.

♂. 6—8. In arvis, pascuis, ad sepes, solo arenoso et glareoso nimis frequens. — Spica terminalis,

subsecunda; flores speciosi, nutantes, purpurei, intus albidi, maculati.

### 280. LIMOSELLA. L. P. 1497. W. 1178.

779. **L. aquatica.** L. P. 1. W. 1.

⊙. 7—8. Ad ripas fluviorum *Lippe*! *Emse*! etc.; nec non locis hyeme inundatis prope *Münster! Telgte*! *Nienberge!* etc. — Planta pusilla, acaulis; folia longius petiolata, lanceolata; pedunculi foliis breviores, uniflori; flores exigui, carnei.

### 281. OROBANCHE. L. P. 1534. W. 1186.

780. **O. major.** L. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. In sylvaticis ad radices Spartii scoparii vulgaris. — Planta, more parasiticarum, maxime variabilis magnitudine a 6unciali ad 4pedalem altitudinem, spica longissima densa vel breviore laxa, nec non denique colore fusco, flavescente aut purpurascente; nullum vero in partibus essentialibus discrimen detegere potuimus.

781. **O. cærulea.** *Villars.* P. 16. W. 13.

♃. 7. In arvis siccis arenosis: prope *Lienen*, B. — Tota cœrulescens; corolla quinquefida, bracteisque ternis facile a priore discernenda.

782. **O. ramosa.** L. P. 18. W. 17.

⊙. 8—10. Ad radices Cannabis sativae parasitica, rarissima ad ripas *Rheni*! — Statura minore, caule ramoso, floribusque minoribus distincta.

## CLASSIS XV.

# TETRADYNAMIA.

## NAUCIFERAE. *)

---

### 282. NESLIA. *Desvaux.*

783. **N. paniculata.** *Desv.*

Myagrum paniculatum. L. W. 1216, 10. Rapistrum paniculatum. *Gærtner.* P. 1546, 1.

⊙. 5—7. Inter segetes aestivales passim, ast rarius, vix indigena. — Naucus compresso-globosus, monospermus, rugosus; flores parvi, flavi; folia lanceolato-sagittata.

### 283. SENEBIERA. *Decandolle.* P. 1550.

784. **S. Coronopus.** *Decand.* P. 4.

Cochlearia Coronopus. L. W. 1228, 7.

⊙. 5—8. In ruderatis, ad muros rarior: *Wesel*! haud longe extra fines copiose prope *Salzkotten*! et *Westernkotten*! — Naucus reniformis, corrugatus, didymus, dorso muricatus; flores albi, exigui; folia pinnatipartita.

---

*) Naucus *Wallrothio* (in schedul. crit.) est pericarpium nucamentaceum, evalve, sponte non dehiscens, dissepimento destitutum, ideoque a siliqua et silicula diversissimum. Tertius igitur ordo huic classi tributus, naturae optime congruus, nec rejiciendus videtur.

### 284. RAPHANISTRUM. *Gærtner.*

785. R. Lampsana. *Gærtner.*

Raphanus Raphanistrum. L. P. 1577, 3. W. 1247, 3.

β. flore albo, lineis nigris.

γ. fructibus junioribus hispidis.

⊙. 5—9. Nimis frequens ubique in agris; floribus albis illud non nisi ad ripas *Rheni* prope *Wesel* vidimus, ubi etiam fructibus hispidis variat. — Nauci plures in siliquæ formam connati, demum in articulos diffracti, non dehiscentes; flores in nostratibus semper lutei, dein dealbescentes. Hæc planta propter fructus indolem prorsus alienam rite a Raphano sativo disjungi, propriumque genus constituere videtur.

## SILICULOSAE.

### 285. BERTEROA. *Decandolle.*

786. B. incana. *Decand.*

Alyssum incanum. L. P. 1559, 14. W. 1230, 13.

♃. 6—9. In pascuis sabulosis ad vias: copiose prope *Wesel!* — Herba pilis stellatis incana; flores albi, racemo demum elongato; silicula ovali-oblonga.

### 286. ALYSSUM. L. P. 1559. W. 1230.

787. A. calycinum. L. P. 18. W. 16.

⊙. 4—9. In pascuis siccis arenosis: *Dorsten bei der Schiffmühle!* copiosius prope *Wesel!* — Herba pilis stellatis incana, præcedente humilior; racemi dein elongati, pedicellis patulis brevibus; flores exigui, lutescentes, demum albidi; calyces persistentes; silicula orbicularis.

### 287. DRABA. L. P. 1557. W. 1225.

788. D. verna. L. P. 6. W. 6.

☉. 3—6. In agris, arvis et pascuis siccis ubique. — Flores albi; siliculae ellipticæ; folia radicalia. Planta jam ante hyemem enata, primo vere insequente floret.

### 288. COCHLEARIA. L. P. 1551. W. 1228.

789. C. officinalis. L. P. 1. W. 1.

☉. ♂. 5, 6. In humidis salsis: prope *Dissen*, A.! — Flores albi; silicula globosa; folia radicalia subrotunda, caulina oblonga sinuata.

790. C. Armoracia. L. P. 7. W. 8.

♃. 5—7. Ad sepes hortorum, fossarum margines non rara, jam inquilina. — *(Meerrettig.)*

### 289. THLASPI. L. P. 1554. W. 1227.

791. T. arvense. L. P. 3. W. 3.

☉. 4—10. In agris, præcipue argillosis, ubique. — Flores albi; silicula magna, obovato-orbiculata, profunde emarginata, valvulis alatis.

792. T. alliaceum. L. P. 4. W. 4.

☉. 6, 7. In agris prope *Lengerich* rarissime obvium nobis indicavit amiciss. *Sehlmeyer*, pharmacopola coloniensis. — Differt a præcedente simili praecipue siliculis minoribus ventricosis. Odor alliaceus herbae tritae etiam in priore, in hoc vero fortior.

### 290. CAPSELLA. *Mœnch.*

793. C. Bursa pastoris. *Mœnch.*

Thlaspi Bursa pastoris. L. P. 1554, 14. W. 1227, 13.

*β. C. apetala.* *Opiz.*

☉. et ♂. 3—10. In agris, cultis, ad vias ubique. — Flores albi; silicula triangulari-obcordata. Planta cæterum valde polymorpha, præsertim foliis nunc integerrimis, nunc sinuato-dentatis, nunc tenuiter pinnatifidis. Varietatem apetalam, multum agitatam, haud raram vidimus prope *Münster vor dem Höchster Thore*, ubi vero non semper stamina 10, sed etiam interdum 6 cum rudimentis petalorum 4 numeravimus.

### 291. TEESDALIA. *Decandolle.*

794. **T. Iberis.** *Decand.*

Iberis nudicaulis. L. P. 1552, 20. W. 1229, 17.

*β. ramosa*, *Nobis.*

☉. 5—6. In agris et arvis arenosis ubique. — Folia fere omnia radicalia sublyrata; caulis intermedius omnino aphyllus, ceteri folio uno alterove instructi; flores albi, petalis inæqualibus. In *β* caules elongati, ramosi, ad apicem usque foliorum fasciculis aucti, foliis caulinis radicalibus omnino conformibus.

### 292. CAMELINA. *Crantz.* P. 1558.

795. **C. sativa.** *Crantz.* P. 1.

Myagrum sativum. L. W. 1216, 7.

☉. 5—7. Colitur passim, nec non spontanea occurrit inter segetes. — *(Leindotter, Hüttentüt.)*

796. **C. dentata.** *Pers.* P. 2.

Myagrum dentatum. *Willden.* W. 1216, 8.

☉. 5—7. In agris inter Linum frequens. — Differt a præcedente simili foliis angustioribus repando-dentatis, floribus siliculisque minoribus, stylo breviore.

### 293. LEPIDIUM. L. P. 1553. W. 1226.

797. **L. campestre.** *R. Brown.*

Thlaspi campestre. L. P. 1554, 7. W. 1227, 8.

⊙. 5—8. In agris et arvis passim, non rarum, præcipue solo lutoso. — Racemi plures, terminales, subfastigiati; flores parvi, albi; siliculæ emarginatæ.

798. **L. sativum.** L. P. 11. W. 10.

⊙. 5—7. Circa domicilia, cum quisquiliis hortorum ejectum, fere ubique quasi spontaneum. — *(Bitterkresse).*

799. **L. ruderale.** L, P. 22. W. 23.

⊙. 5—8. In ruderatis, ad muros urbium *Wesel! Rees! et Emmerich!* rarius. — Caulis ramosissimus, spithamæus; folia inferiora pinnatipartita; flores racemosi, minimi, diandri, sæpe apetali, petalis, si adsunt, flavescentibus; silicula parva, ovalis, emarginata.

800. **L. graminifolium.** L. P. 24. W. 19.

♃. 6—10. In ruderatis: *Wesel am Hafen!* atque ibidem *beim Fort Blücher!* copiosius haud longe extra fines nostros prope *Werl!* — Præcedente majus; folia caulina angustissima; flores hexandri, exigui, albi, calycibus apice purpurascentibus.

### 294. ISATIS. L. P. 1563. W. 1221.

801. **I. tinctoria.** L. P. 1. W. 1.

♂. 5—7. In pascuis siccis ad ripas *fl. Rheni!* frequens prope *Wesel auf der Büdricher Insel!* — Flores aurei; calyx coloratus; silicula pendula, fusca.

## SILIQUOSAE.

### 295. CHEIRANTHUS. L. P. 1570. W. 1240.

802. **C. fruticulosus.** L. P. 4. W. 6.

♄. 5, 6. In muris vetustis, ruderatis, passim: *Münster! Wesel!* copiose in monte *Sparenberg* prope *Bielefeld!* — A Ch. Cheiri hortorum differt, monente cl. *Smith:* foliis acutioribus, subtus canescentibus; floribus minoribus luteis, nec ferrugineo-sanguineis. Cl. *Decandolle* econtra illum ceu varietatem posteriori subjunxit.

### 296. NASTURTIUM. *R. Brown.*

803. **N. officinale.** *R. Brown.*

Sisymbrium Nasturtium. L. P. 1568, 1. W. 1238, 1.

*α. platyphyllum*, *Nobis*, foliolis majoribus, inæqualibus, semidecurrentibus.

*β. microphyllum*, *Nobis*, foliolis triplo fere minoribus, omnibus distinctis, subpetiolatis.

♃. 5—9. In fossis, rivulis satis frequens. — (*Brunnenkresse*). — Duplici præcipue forma hæc planta occurrit; neutram vero solo proprio adscriptam vidimus.

804. **N. sylvestre.** *R. Brown.*

Sisymbrium sylvestre. L. W. 1238, 2. Sisymbrium vulgare. *Pers.* P. 1568, 2.

♃. 6—9. Ad ripas fluviorum, fossas, locis humidis vulgare. — Folia pinnatisecta, segmentis lanceolatis serratis; petala aurea, calycem superantia; pedicelli erecto-patentes, siliquam elongatam æquantes.

805. **N. palustre.** *Decandolle.*

Sisymbrium palustre. *Leysser.* P. 1568, 3. W. 1238, 3.

☉. 6—9. Locis inundatis, ad ripas, fossas, ubique. — Folia pinnatilobata, lobis confluentibus; petala lutea, calycem subaequantia; pedicelli fructiferi inferiores subdeflexi; siliquae quam in praecedente duplo triplove breviores.

806. N. anceps. *Reichenbach. (Bot. Zeit.)*

Sisymbrium anceps. *Wahlenberg.*

♃. 6—9. Ad ripas fluviorum *Lippe! Rheni!* et *Berkel!* haud ita vulgare; forsan pluribus locis, cum praecedente commutatum. — Planta foliorum forma priori, siliquarum vero sequenti similis; differt vero ab utroque: foliis basi auriculatis, subamplexicaulibus; racemis demum longissimis; floribus aureis; siliquis siliculaeformibus, oblongis, utrinque attenuatis, compresso-ancipitibus.

807. N. amphibium. *R. Brown.*

Sisymbrium amphibium. L. P. 1568, 4. W. 1238, 4.

*α. vulgare*, *Nobis*, foliis superioribus acutis, argute dentatis; stylo brevissimo.

*β. uliginosum*, *Nobis*, foliis latioribus obtusiusculis, obtuse serratis; stylo duplo triplove longiore.

*γ. integrifolium*, *Nobis*, racemis numerosis, multifloris, paniculatis; floribus exiguis, ochroleucis, plerumque abortientibus; foliis radicalibus oblongis sinuato-dentatis, caulinis integerrimis, linearibus, apice rotundato-obtusis.

*δ. flore pleno.*

♃. 6—8. Ad ripas, in fossis et paludosis frequens; β locis uliginosis; γ in piscinis solo turfoso unica tantum vice lectum prope *Velen!*; δ prope *Belen!* in fossis secus viam publicam. — Planta insigniter polymorpha; folia inferiora saepius pinnatifida, superio-

ra semper indivisa; flores intense flavi, in ♂ fere aurei, speciosi; siliqua longe pedunculata, siliculaeformis, ovato-globosa, turgida.

## 297. BARBAREA. *R. Brown.*

808. **B. vulgaris.** *R. Brown.*

Erysimum Barbarea. L. P. 1569, 2. W. 1239, 2.

♃. 5—8. In pascuis humidis, ad sepes vulgaris. — Folia inferiora lyrato-pinnatifida, lobo terminali maximo, superiora basi auriculata, sessilia; flores lutei; siliquae erecto-patentes.

809. **B. arcuata.** *Reichenbach. (Bot. Zeit.)*

♃. (♂?). 5—7. In arvis et ambarvalibus, gregatim plerumque proveniens: *Coesfeld am Berge!* inter *Walstede* et *Hamm!* pluribusque proculdubio locis. — Differt a præcedente simili: floribus parum majoribus aureis; siliquis arcuato-patentibus; ramis magis patulis. Quae in hortis colitur flore pleno, ad hanc pertinet.

810. **B. præcox.** *R. Brown.*

Erysimum praecox. *Smith.* P. 1569, 3. W. 1239, 3.

♂. 4—10. In pascuis humidis argillosis, ad fossas, rarior: prope *Coesfeld! Darup!* — A prioribus facile discernenda: foliis caulinis pinnatifidis, laciniis oppositis, linearibus, integerrimis, extimo majore; floribus pallidioribus; siliquis duplo longioribus, strictis. Plantam hanc, sapore Nasturtii officinalis in acetariis gratam, in cultis siccis prope *Arnsberg* divulgatam vidimus.

## 298. TURRITIS. L. P. 1574. W. 1244.

811. **T. glabra.** L. P. 1. W. 1.

♂. 5—6. In sylvaticis siccis, aggeribus et dumetis haud rara. — Folia radicalia runcinata, cum inferiore caulis parte hispida; caeterum tota planta glaberrima, glaucescens; flores albidi; siliquae longissimae, erectae, strictae.

299. ARABIS. L. P. 1573. W. 1243.

812. A. hirsuta. *Scopoli.*

Turritis hirsuta. L. P. 1574, 4. W. 1244, 4.

♃. 5—6. In sylvaticis calcareis lapidosis, muris antiquis rarior: *Stromberg! Iburg!* — Plerumque pedalis, aut parum altior; caulis saepius simplex; siliquae quam in sequente duplo triplove breviores; fructu maturante folia radicalia in orbem disposita adhuc viridia, in hyemem usque persistentia. In speciminibus nostris pilos paucos furcatos aut divisos, plurimos vero simplices vidimus.

813. A. sagittata. *Decandolle.*

Turritis hirsuta. *plur. autorum.* (non L.)

♂. 5, 6. In sylvaticis sabulosis: ad ripas fl. *Lippe!* et *Stever!* haud frequens. — Praecedente omnibus partibus etiam siliquis duplo triplove major, caule a basi plerumque ramoso, ramis longis adpressis, undique hirsutis; folia radicalia glabriuscula, in adulta emarcida, caulina eroso-dentata, hispida; siliquae complanatae, nitidae, longissimae, strictissimae.

814. A. thaliana. L. P. 5. W. 3.

☉. 4—9. In agris, præcipue arenosis, ubique. — Herba tenera, parum hispida; racemi laxi, patuli; flores albi.

300. CARDAMINE. L. P. 1567. W. 1237.

815. C. amara. L. P. 28. W. 20.

♃. 5, 6. In uliginosis, ad rivulos passim, sequente rarior. — Radix horizontalis, articulata, virescens; foliola omnia angulata, extimo majore; flores albi, antheris violaceis.

816. **C. pratensis.** L. P. 27. W. 19.

♃. 4—7. In pratis, pascuis, sylvaticis ubique. — Radix obliqua, fusca, tuberculosa; foliola radicalia subrotunda, caulina lineari-lanceolata; flores pallide rosei, antheris flavis.

817. **C. hirsuta.** L. P. 23. W. 17.

☉. 4, 5. Ad margines fossarum: *Coesfeld auf der Zitadelle!* — Apud nos caulis fere semper ultrapedalis, cum foliis pilis raris adspersus; flores exigui, albi; siliquæ erectæ. Planta nonnisi tempestate secunda, locisque sibi idoneis provenire videtur.

818. **C. impatiens.** L. P. 21. W. 13.

☉. 6, 7. Locis umbrosis humidis, ad scaturigines: ad ripas præruptas *Rheni!* rarior. — Plerumque ultrapedalis; foliola ovali-oblonga, varie dentato-incisa; flores parvi albi; siliquae maturae tactu elastice dehiscunt.

### 301. SISYMBRIUM. L. P. 1568. W. 1238.

819. **S. officinale.** *Scopoli.*

Erysimum officinale. L. P. 1569, 1. W. 1239, 1.

☉. 5—10. In ruderatis, ad sepes, vias, ubique. — Flores parvi, lutei; siliquæ tereti-subulatæ, rhachi adpressæ. Stirps Sinapis generi valde affinis.

820. **S. Sophia.** L. P. 34. W. 29.

☉. 6—8. In ruderatis, aggeribus siccis, ad vias, satis frequens. — Tota planta pubescit; folia tenuis-

sime dissecta; flores exigui, luteoli; siliquæ glabræ, adscendentes.

### 302. ALLIARIA. *Andrzejowsky.*

821. A. officinalis. *Andrz.*

Erysimum Alliaria. L. P. 1569, 4. W. 1239, 4.

♂. 5—7. In umbrosis, dumetis subhumidis ubique. — Folia magna, cordata; flores albi; pedicelli patuli; siliquae longae, erectae. Herba trita Allium redolet.

### 303. HESPERIS. L. P. 1571. W. 1242.

822. H. matronalis. L. P. 4. W. 3.

♃. 5, 6. In dumetis: prope *Albachten* versus praedium *Alvinkhof* non rara, H. — Planta nobis non visa, autoritate amici laudati hoc loco recepta, saepe confusa cum H. inodora *Jacquin*, a qua praecipue differt floribus odoratis, petalis cum mucrone emarginatis. In hortis ubique colitur varietas floribus albis, plenis.

### 304. ERYSIMUM. L. P. 1569. W. 1239.

823. E. hieracifolium. L. P. 14. W. 7.

⊙. ♂. 5—8. In arvis siccis, muris, aggeribus, rarius: *Münster* prope *Kinderhaus*, W.; *Darup!* frequentius ad ripas *Rheni!* — Caulis glabriusculus; folia lanceolata, remote serrata, radicalia plura, repando-dentata; flores lutei; siliquae pubescentes, erecto-adpressae.

824. E. cheiranthoides. L. W. 6.

E. parviflorum. *Jacquin.* P. 8.

⊙. 6—9. In agris inter segetes, solo praesertim

argillaceo vulgare. — Praecedente plerumque minor; caulis strigosus; folia parce denticulata; flores quam in priore minores, flavi; siliquae glabrae, erecto-patulae.

305. BRASSICA. L. P. 1575. W. 1245.

825. B. oleracea. L. P. 9. W. 8.

♂. 5, 6. Colitur cum innumeris varietatibus, quarum plures, (e. g. B. ol. capitata, caulorapa, botrytis), — immutatae e seminibus proveniunt. — *(Kohl.)*

826. B. Rapa. L. P. 7. W. 7.

♂. et ⊙. 4, 5. Frequens in agris et arvis, tam spontanea, quam culta. — *(Raps.)*

827. B. Napus. L. P. 6. W. 6.

*β*. B. *trimestris*, *Nobis*.

♂. 5, 6. (*β* ⊙. 6, 7.) Culta et spontanea ubique. — *(Rübe.)* — Quamvis praecedentis quoque occurrat varietas annua, nomine vernaculo *Sommerraps* audita, nullo modo autem a bienni diversa, illam, quam B. trimestris nomine huic subscripsimus, accuratius inquirendam putamus. Non solum enim radice annua differt, nunquam bulbosa, sed etiam statura semper minore, habitu strictiore, foliis angustioribus, siliquarum forma, atque seminibus duplo minoribus. Spontanea hinc inde occurrit inter segetes, colitur autem frequenter in agris minus fertilioribus, præcipue quum priores hyeme perierunt, sub nomine *Kleinsaat*, Junio sata, Julio florens, Augusto maturans, unde nomen proprium desumsimus.

828. B. campestris. L. P. 2. W. 3.

⊙. 5, 6. In agris, præcipue argillosis frequens. — Glaucescens, annua; folia superiora cordato-am-

plexicaulia, inferiora lyrata; siliquæ teretes, subinflatæ.

829. B. Eruca. L. P. 19. W. 18.

⊙. 6—8. In agris et arvis: prope *Lengerich* non rara, B. — Dubia civis, nobiscum nondum communicata; an cum sequente commutata?

830. B. Erucastrum. L. P. 18. W. 17.

⊙. 6—9. In arvis, agris et pascuis: copiose prope *Wesel!* locisque vicinis ad ripas *Rheni!* — Folia pinnatifida, pinnis obtusis, grosse dentatis; caulis retrorsum hispidus; flores flavi; siliquæ glabræ. Nostra exacte congruit cum specimine Floræ Wetteraviae; aliunde hanc plantam accepimus sub titulo Sisymbrii obtusanguli *Schleicher*, atque Sinapis bipinnatifidæ?

306. SINAPIS. L. P. 1576. W. 1246.

831. S. nigra. L. P. 5. W. 5.

⊙. 5, 6. In agris et cultis: prope *Darup*! *Coesfeld! Münster*! alibique non rara. — Differt a sequentibus siliquis subtetragonis, brevius rostratis, glabris, rhachi adpressis.

832. S. arvensis. L. P. 3. W. 1.

⊙. 6—10. In agris et arvis vitium nimis frequens. — Siliquae glabrae, angulatae, torulosae, rostro subancipiti triplo fere longiores; caules foliaque pilosi.

833. S. alba. L. P. 4. W. 4.

⊙. 6—8. In agris, praecipue inter segetes aestivales passim: *Darup*! *Coesfeld*! *Billerbeck*! *Münster*! etc. — Siliquae patentes, hispidae, rostro magno ensiformi terminatæ; caules foliaque glabri.

### 307. DIPLOTAXIS. *Decandolle.*

834. **D. tenuifolia.** *Decand.*

Sisymbrium tenuifolium. L. P. 1568, 9. W. 1238, 9.

♃. 6—10. In muris, ruderatis, nec non in pascuis et agris: frequens prope *Wesel! Rees! Emmerich!* — Foliorum laciniae angustae; flores speciosi, citrini, grate odorati; herba trita vero odore nauseoso.

### 308. RAPHANUS. L. P. 1577. W. 1247.

835. **R. sativus.** L. P. I. W. 1.

β. *R. niger*, *Miller*, radice nigra.

γ. *R. chinensis*, *Persoon*, radice exili.

♂. 6—8. Aufugam ex hortis, ubi copiose colitur, saepe invenies ad sepes, in ruderatis et agris; ultima varietas, sub nomine *Chinesischer Oelrettig* passim culta, spontanea occurrit in pascuis siccis ad ripas fl. *Emse* prope *Rheine!* — (*Radieschen* und *Rettige*).

CLASSIS XVI.

# MONADELPHIA.

## PENTANDRIA.

---

### 309. ERODIUM. *l'Héritier.* P. 1600. W. 1263.

836. E. cicutarium. *l'Hérit.* P. 11. W. 11.

☉. ♂. 4—10. In agris, arvis, ad vias vulgatissimum. — Planta valde variabilis pro soli fertilitate, nunc erectiuscula, nunc multo minor, ac plane prostrata. Pedunculi multiflori; petala inaequalia, purpurea, binis saepius basi viridi-maculatis, semper saturatioribus; achaeniorum rostra dorso glabra.

837. E. pilosum. *Thuillier.*

E. pimpinellaefolium β pilosum. *Pers.* P. 12β.

β. E. *chærophyllum. Cavanilles.*

♂. 6—8. In pascuis siccis: in urbe *Bentheim!* copiose ad pedem castelli, nec non in montibus vicinis prope *Gildehaus!* versus *Schüttorf!* etc., rarius autem in agros excurrens. — Priori similis, differt vero: omnium partium hirsutie densa; pedunculis oliganthis, floribus sæpius binis, vix unquam quaternis; petalis omnibus plus minusve dilute purpureis, in β carneis aut albidis, duobus superioribus interdum paulo saturatioribus, ast omnino absque macula viridi; calycum aristis brevissimis, marginem membranaceum vix superantibus; achæniorum rostris ad apicem usque dorso adpresso-pubescentibus. Hasce propter differentias, in omnibus tam maximis quam nanis fideliter redeuntes, illud præcedenti ceu varietatem sub-

scribere nequimus. In nonnullis speciminibus radices adeo validas atque lignosas vidimus, ut plantam perennare suspicati simus.

838. E. pimpinellæfolium. *Willd.* P. 12. W. 12.

⊙. 4—8. In arvis, pascuis siccis rarissime: *Darup! Seppenrade!* — Differt a præcedentibus: cotyledonibus cordatis; nec trilobis, petalis calycem vix æquantibus; achaeniorum rostris glabris, ne ebarbatis.

839. E. moschatum. *l'Hérit.* P. 14. W. 14.

⊙. 5—9. Ad sepes, vias passim: *Münster vor dem Neuthore! Darup! Bocholt, Hessing* (Veterin. in *Anholt*); *Wesel!* — Praecedentibus majus, pilis viscosis parce vestitum, moschum redolens. Flores purpurei, petalis calycem vix superantibus, pedicellis brevioribus, pedunculo communi valde elongato; foliola basi inaequalia, breviter, ast evidenter petiolata.

## DECANDRIA.

### 310. GERANIUM. L. P. 1604. W. 1271.

840. G. sanguineum. L. P. 4. W. 4.

♃. 6—8. Ad sepes rarius: prope *Brackwede*, A. — Caules decumbentes, divaricati; folia pilosa, rotundata; flores solitarii magni, sanguinei; achaeniorum rostra apice pilosa.

841. G. phæum. L. P. 8. W. 8.

♃. 5—7. In dumetis, ad sepes: prope *Seppenrade*, N.!; *Münster* versus *st. Mauritz*, H. et K.!; prope *Lütjenbeck!* — Pedunculi biflori, paniculati; flores atro-purpurei, luridi; caules erecti.

842. G. sylvaticum. L. P. 15. W. 16.

♃. 6, 7. In sylvaticis umbrosis: prope *Bielefeld* passim, A. — Erectum, pilis deflexis obsitum; flores purpurei, venis sanguineis.

843. G. palustre. L. P. 16. W. 17.

♃. 6—8. In umbrosis humidis, ad fossas: *Münster* versus *Lütjenbeck*, H. et K.!; *Hövel! Ascheberg*! alibique. — Caules debiles; flores speciosi purpurei.

844. G. pratense. L. P. 20. W. 21.

♃. 6, 7. In dumetis humidiusculis: prope *Beckum et Oelde*, H.! haud frequens. — Erectum, tomentoso-incanum; flores maximi, cœrulei; folia usque ad basin fere divisa, rugosa.

845. G. molle. L. P. 32. W. 32.

☉. 4—9. In ruderatis, pascuis, ad sepes frequens. — Sequente saepe minor, caulibus prostratis, floribus parvis purpureis, petalis obcordatis calyce duplo fere longioribus, achaeniis glabris, rugosis.

846. G. pusillum. L. P. 37. W. 37.

☉. 6—9. Cum priori frequens, praecipue solo arenoso. — Prostratum aut adscendens; flores exigui cœrulescentes, pentandri; petala emarginata, calycem vix excedentia; achaenia hirsuta.

847. G. rotundifolium. L. P. 36. W. 36.

☉. 6, 7. In ruderatis, ad sepes passim, ast rarius. — Flores parvi, rosei, petalis integerrimis; achænia colore plumbea, undique pilis patentibus hirsuta. Variat rarius petalis apice subemarginatis.

848. G. dissectum. L. P. 35. W. 35.

⨀. 5—8. In pascuis et arvis siccis frequens, praesertim argilloso-calcareis. — Folia partito-laciniata; petala saturate purpurea, emarginata; achaenia fusca, pilis patentibus hirsuta.

849. G. columbinum. L. P. 34. W. 34.

⨀. 6—8. In dumetis, arvis et agris, praecipue calcareis, vulgare. — Herba gracilis, geniculis rubellis; flores rosei, majusculi, petalis emarginatis; achaenia glaberrima, inflata.

850. G. robertianum. L. P. 38. W. 38.

⨀. 5—10. In muris, ruderatis, dumetis ubique copiose. — Flores purpurei, petalis integris; achaenia reticulato-corrugata. Locis siccis apricis autumno tota planta saturate rubra evadit; trita ingratae odoris.

Obs. G. lucidum, L., in rupibus calcareis *Ducatus Westphaliæ* haud rarum, forsan intra fines nostros in montibus *Teutoburgicis* adhuc latet.

## POLYANDRIA.

### 311. ALTHÆA. L. P. 1632. W. 1289.

851. A. officinalis. L. P. 1. W. 1.

♃. 7—9. Locis subhumidis, ad sepes: *Amelsbüren* prope *Kaltenbäumer*, H. et K.; inter *Bösensell* et *Albachten!* copiosior versus Hollandiae fines. — Tota molliter tomentosa; folia cordata, sublobata; paniculae axillares, densae; flores pallide purpurei.

### 312. MALVA. L. P. 1633. W. 1290.

852. M. rotundifolia. L. P. 46. W. 40.

♃. 6—9. Ad sepes, vias ubique. — Flores carnei, petalis calyce duplo longioribus; seminum arilli immarginati, laevigati; folia suborbiculata; caules prostrati.

853. M. pusilla. *Withering.*

M. rotnndifolia β pusilla. *Pers.* P. 46β.

☉? ♂? 6—8. Similibus cum priori locis, ast rarissima: *Münster vor dem Neuthor rechts am Stadtgraben!* — Differt, monente cl. *Wallroth*, (qui illam M. neglectam, hanc autem, contra cl. *Smith*, veram Linnaei M. rotundifoliam dixit), corollis calycem ciliatum subaequantibus, seminum arillis marginatis, dorso scrobiculato-rugosis. In exemplaribus paucis loco l. lectis, jam defloratis, folia pallide virentia, calyces obtusiores, ampliores, fructum omnino tegentes, observavimus.

854. M. sylvestris. L. P. 49. W. 43.

♃. 5—8. Ad sepes, in ruderibus et cultis frequens. — Caulis saepius erectus; flores purpurei, petalis obcordatis, speciosis. Variat caule prostrato.

855. M. crispa. L. P. 53. W. 47.

☉. 7—9. E *Syria* olim advecta, nunc inquilina jam facta, non raro occurrit in cultis immo et in agris. — Caulis saepe orgyalis; folia magna, margine crispa; flores in axillis glomerati, parvi, cœrulescentes.

856. M. Alcea. L. P. 56. W. 50.

♃. 6—8. Ad sepes, agrorum margines passim: *Lette et Buldern*, N.!; *Uehrendorf*, A.; *Darup! Notteln! Billerbeck!* alibique. — Caules plures, erecti; folia inferiora angulata, superiora quinquepartita; flores maximi, carnei.

857. M. moschata. L. P. 57. W. 51.

♃. 6—8. Ad vias, agrorum margines: *Nienberge*, W.! *Steinfurth! Münster! Darup!* ad ripas *Rheni!*— Differt a praecedente: caule plerumque minore; foliis superioribus multipartitis, odoratis; calyce piloso, nec dense tomentoso, foliolis exterioribus lineari-lanceolatis, nec ovatis. Varietatem flore albo semel legimus prope *Darup*, atque translata in hortum floris colorem usque in hunc diem non mutavit.

---

CLASSIS XVII.

# DIADELPHIA.

## HEXANDRIA.

---

313. CORYDALIS. *Ventenat.* P. 1658.

858. C. bulbosa. *Venten.* P. 12.

Fumaria bulbosa. L. W. 1312, 10.

♃. 4, 5. In dumetis, sylvaticis rarior: *Münster an der Aa*, H. et K.; *Bielefeld* in monte *Johannisberg*, A.; *Stromberg! Oelde!* — Radix cava; bracteæ ovatæ, integerrimæ, floribus breviores; calcar incurvum. Variat floribus purpurascentibus, roseis et albis.

859. C. fabacea. *Persoon.* P. 14.

Fumaria fabacea. *Retz.* W. 1312, 12.

♃. 4. In sylvaticis dumetis, semel jam defloratam vidimus prope *Ravensberg!*; forsan pluribus locis obvia secus montes *Teutoburgicos.* — Differt a præcedente: statura minore; racemo paucifloro, brevi; bracteis subrotundis corollam subæquantibus, atque calcare recto.

860. C. digitata. *Persoon.* P. 16.

Fumaria Halleri. *Flor. Dan.* W. 1312, 14.

♃. 4, 5. In dumetis et aggeribus dumosis, solo lutoso et sabuloso, frequens. — Radix solida; bracteæ partitae aut digitatae; calcar subrecurvum. Valde variat foliorum forma, foliolis nunc multipartitis, laciniis subovatis, lanceolatis aut spathulatis, nunc indivisis, subrotundis, apice leviter crenatis; nec non brac-

teis varie incisis aut partitis, pedunculo suo longioribus aut brevioribus.

861. C. claviculata. *Persoon.* P. 24.

Fumaria claviculata. L. W. 1312, 29.

⊙. 6—11. In sylvis caeduis, dumetis, solo praecipue humoso-arenoso: *Bocholt*! *Bentheim*! *Gildehaus*! aliisque versus Hollandiam locis copiose. — Caules ramosi, scandentes; folia cirrhifera, pinnata, foliolis saepe ternatis, ellipticis; spicae pauciflorae, floribus albidis, parvis.

314. FUMARIA. L. P. 1659. W. 1312.

862. F. officinalis. L. P. 5. W. 25.

*β. F. media. Loisel.*

⊙. 5—9. Posterior in cultis et agris ubique; prior haud ita frequens in agris siccis argilloso-calcareis. — Herba glauca, diffusa; flores spicati, rosei aut purpurei, apice macula saturatiore; capsula subglobosa, retusa. Inter utramque nullum prorsus invenimus discrimen, nisi quod prior caule sit minore rigidiore minusque diffuso, foliorum laciniis brevioribus, apice magis dilatatis, rotundatis, floribusque saturatius purpureis.

863. F. parviflora. *Lamarck.* P. 7. W. 27.

⊙. 6, 7. In agris, inter segetes, rarissima prope *Rees! Emmerich!* solo lutoso. — Distinguitur haud ægre a præcedente floribus duplo minoribus, pallidioribus, capsulis subglobosis, acuminatis, nec retusis, foliorum laciniis angustissimis, linearibus, subtus convexis, nunquam apice dilatatis.

## OCTANDRIA.

### 315. POLYGALA. L. P. 1661. W. 1313.

864. **P.** amara. L. P. 5. W. 5.

♃. 5—7. In pascuis et sylvaticis montosis: *Nienberge*, K.; *Freckenhorst am Steinberge*, Nic.!; *Bielefeld*, A.; *Leden auf der hohen Horst*, B. — Differt a sequente sapore valde amaro, caulibus minoribus, foliis omnibus obtusis, inferioribus obovatis, floribusque duplo fere minoribus.

865. **P.** vulgaris. L. P. 6. W. 6.

♃. 5—9. In sylvaticis, pascuis, ericetis ubique. — Folia inferiora sæpius spathulata, superiora semper lanceolata, acutiuscula. Planta cæterum pro soli diversitate maxime varians magnitudine, habitu, foliis atque florum colore cyaneo, violaceo, roseo et albo.

## DECANDRIA.

### 316. SPARTIUM. L. P. 1690. W. 1332.

866. **S.** scoparium. L. P. 20. W. 19.

*α glabrum*, *Nobis*, ramis foliisque glabris.

*β hirsutum*, *Nobis*, ramis foliisque hirsutis.

♄. 6—8. In sylvaticis, pascuis ubique vulgare. — Cl. *Smith* in descriptione hujus stirpis, sub nomine *Ginster* satis notæ, eam foliis ramisque glabris, corollis aureis, interdum extus fulvis, instructam dixit, quod vero in nostrate fallit. Sæpius enim rami juniores undique pilis obsiti sunt, atque rarius veniuntur folia omni pube destituta; flores etiam nunquam aureos, extus fulvos, sed constanter citrinos vidimus,

excepto unico specimine prope *Darup*, flores albos gerente, quod nunc evanuit.

### 317. GENISTA. L. P. 1691. W. 1333.

867. **G. tinctoria.** L. P. 9. W. 8.

♄. 6—8. In pascuis, sylvaticis, praesertim solo argilloso-calcareo, vulgaris. — Inermis, adscendens, glabra; folia lanceolata; flores axillares, aurei.

868. **G. pilosa.** L. P. 16. W. 14.

*α. sylvatica*, *Nobis*, caule elongato, erectiusculo, basi simplici.

*β. campestris*, *Nobis*, caulibus prostratis, ramosissimis.

♄. 5—9. Posterior in ericetis et pascuis sterilibus copiose; prior minus frequens in sylvaticis umbrosis. — Inermis; folia parva, obtusa, supra glabra, subtus sericea; flores axillares, flavi, extus pubescentes; legumen hirtum, dispermum. In pascuis sabulosis varietas posterior sæpius caespitem densum format, caulibus sub terra latentibus, ramulis tantum ex arena emersis.

869. **G. anglica.** L. P. 22. W. 19.

♄. 5, 6. In sylvaticis atque ericetis humidis vulgatissima. — Undique spinosa, spinis simplicibus; folia glabra; rami floriferi inermes; flores flavi; legumen glabrum.

870. **G. germanica.** L. P. 26. W. 20.

♄ 5—7. In sylvaticis elatioribus rarissima: *Altenberge*, H.; prope *Bielefeld* frequens, A. — Spinosa, spinis compositis; rami juniores et floriferi inermes; folia pilosa; flores flavi; legumen pilosum.

### 318. ULEX. L. P. 1693. W. 1338.

871. U. europæus. L. P. 1. W. 1.

♄. 4—10. In ericetis sterilibus passim: *Tecklenburg*, A.; *Münster hinter der Geist*, H. et K.!; *Marienfelde*, *Pr. a Schlechtendal;* prope *Varlar* invenit *ill. Princ. a Salm-Horstmar!;* alibique. — Stirps spinosissima, foliis spinaeformibus; flores aurei, odorati. Accepimus specimen prope *Billerbeck* lectum, omnibus partibus minus, ramis, uti videtur, decumbentibus, nimis vero mancum, ut ex eo Ul. nanum *Smithii* ceu stirpem indigenam indicare possimus.

### 319. ONONIS. L. P. 1694. W. 1344.

872. O. spinosa. L. P. 1. W. 2.

♄. 6—8. In pascuis, arvis et ambarvalibus ubique frequens. — Caules erecti ramulique spinosi; folia oblonga, basi saepe cuneata, apice subtruncata; flores solitarii, rosei; calycis laciniae ovatae, demum reflexae, legumine subtrispermo breviores.

873. O. procurrens. *Wallroth.*

O. arvensis *α* *Smith.* P. 2. *(ex parte.)*

♄ 7—10. In pascuis et arvis arenosis: ad ripas fl. *Lippe*! *et Rheni*! frequens. — Stirps olim cum O. hircina et arvensi confusa, nuper a cl. *Wallroth* rite distincta, differt a praecedente: caulibus late prorepentibus, ramis adscendentibus, inermibus aut basi tantum spinescentibus, foliisque rotundato-ovatis pilis glandulosis undique obsitis; laciniis calycinis lanceolatis, non reflexis, legumine subdispermo longioribus.

874. O. arvensis. L. *(secund. Wallroth.)*

O. hircina. *Jacquin.* P. 4. W. 3. (?)

♃. 6, 7. In agris et arvis lutosis: ad ripas *Rheni*

prope *Wesel!*; *Rees!*; rara. — Omnino inermis, herbacea; caules ramosissimi, diffusi; flores subgeminati; folia oblongo-lanceolata.

### 320. ANTHYLLIS. L. P. 1695. W. 1345.

875. **A. Vulneraria.** L. P. 2. W. 2.

♃. 5—8. In pascuis et sylvaticis siccis calcareis passim: *Nienberge*, W.! *Lengerich*, B.; *Beckum! Stromberg!* alibique. — Folia pinnata, inferiora latiora; florum capitula terminalia, plerumque geminata; calyces albidi; corollæ aureæ.

### 321. OROBUS. L. P. 1713. W. 1354.

876. **O. vernus.** L. P. 4. W. 4.

♃. 4, 5. In sylvaticis nemorosis rarior: *Stromberg bei der Kreuzkapelle*, W.; *Teutoburger Wald, Dr. Weihe.* — Folia 2—3juga, foliolis ovatis acuminatis; racemi pauciflori; flores violacei, demum cœrulescentes.

877. **O. tuberosus.** L. P. 5. W. 5.

α. *O. latifolius*, foliolis oblongo-ovatis, obtusis.

β. *linifolius*, *Fl. Wett.*, foliolis oblongo-lanceolatis, obtusiusculis.

γ. *O tenuifolius*, *Roth.* (Lathyrus attenuatus. *Vivian.* P. 1714, 9.) foliolis angustissimis, linearibus, subulatis.

♃. 5, 6. In nemorosis montosis: *Lengerich, Tecklenburg*, B.; *Iburg*! *Halle!* alibique in sylva Teutoburgica non rarus; e calcareis nostris exul videtur. — Planta quoad foliorum formam præ aliis polymorpha, nunc foliola lata, subovata, nunc tenuissima, elongata, subulata gerens. Flores purpurei, dein cœrulescentes.

878. **O. niger.** L. P. 13. W. 10.

♃. 6, 7. In sylvis montosis frondosis: prope *Brackwede*, A.; haud longe extra fines *im Lippischen*, *Dr. Weihe.* — Tenuiter pubescens; folia pinnata, 5—6 juga; flores purpurei, demum cœrulescentes, pedunculis elongatis, multifloris. Siccatus nigrescit.

### 322. PISUM. L. P. 1716. W. 1353.

879. **P. sativum.** L. P. 1. W. 1.

☉. 5—8. Colitur cum multis varietatibus, nec non quasi spontaneum inter segetes. — Pedunculi multiflori; semina immaculata.

880. **P. arvense.** L. P. 2. W. 2.

☉. 6—8. Cum priori colitur atque spontaneum occurrit in agris. — Pedunculi uniflori; vexillum sæpius albidum, venis purpureis; alæ saturate rubræ; semina maculata. Hujus quoque plantæ plures extant varietates.

### 323. LATHYRUS. L. P. 1714. W. 1355.

881. **L. tuberosus.** L. P. 26. W. 25.

♃. 6, 7. In agris et arvis: prope *Enkings-Mühle*, H.; *Rees*! *Emmerich*! frequens. — Radix tuberibus nigris, esculentis, *(Erdmäuse,)* instructa; corollae rubrae; calycis dens infimus elongatus.

882. **L. pratensis.** L. P. 28. W. 27.

♃. 6—8. In pratis, pascuis ubique. — Folia binata, foliolis elliptico-lanceolatis cauleque glabris; flores aurei. Diversus videtur L. pratensis *flor. Berol.*, radice annua, atque omnium partium pubescentia a nostrate recedens.

883. **L. sylvestris.** L. P. 29. W. 28.

♃. 7, 8. In dumetis, ad margines sylvarum, solo

præcipue calcareo: *Rorup*, N.!; *Darup! Coesfeld! Billerbeck!* alibique haud frequens. — Folia binata, foliolis ensiformibus, nervosis; stipulæ semisagittatæ; flores cernui purpurei, alis violaceis.

884. L. intermedius. *Wallroth.*

L. sylvestris β platyphyllus. *Retz.* W. 28β.

♃. 7, 8. In dumetis: *Münster* prope *Nobiskrug* ad ripas fl. *Werse!* — Intermedius inter præcedentem et L. latifolium, in agro nostro, quantum constat, nondum repertum, ab utroque differt: foliolis oblongo-lanceolatis, concoloribus, plerumque trinerviis, stipulis linearibus simplicissimis, floribus roseis, quam in L. latifolio minoribus.

885. L. palustris. L. P. 32. W. 31.

♃. 6—8. In pascuis et dumetis humidis versus *Bentheim, Stadtlohn* etc., ad fines *Hollandiæ* occurrere dicitur, nobis nondum obvius. — Flores cærulescentes; legumen pendulum, glabrum.

324. VICIA. L. P. 1717. W. 1356.

886. V. Cracca. L. P. 13. W. 12.

♃. 6—8. In dumetis et pratis ubique. — Pedunculi multiflori, floribus numerosissimis, secundis, dilute violaceis; folia multijuga, sericeo-villosa.

887. V. sativa. L. P. 27. W. 26.

☉. 6—8. Colitur frequenter, nec non spontanea ubique occurrit in agris et dumetis. — *(Wicke).*

888. V. angustifolia. *Roth.* P. 28. W. 28.

*α. sylvestris*, *Schlechtendal*, gracilior, foliolis superioribus linearibus, stipulis integerrimis, floribus subsolitariis.

*β. arvensis*, *Schlechtendal*, gracilior, foliolis

superioribus obovato-ellipticis retusis, stipulis dentatis, floribus subgeminatis.

⊙. 5—8. In cultis atque incultis frequens. — V. sativæ valde affinis, atque præter folia angustiora, summa longiora non emarginata, atque minorem eorum pubescentiam vix distinguenda.

889. V. lathyroides. L. P. 31. W. 31.

⊙. 4, 5. In arvis, pascuis siccis: *Münster im Schlossgarten*, nec non ibidem prope *Homeier*, H. et K. — Congeneribus nostratibus minor, foliis 2—3-jugis, foliolis obcordatis, floribus solitariis parvis cœrulescentibus, leguminibus glaberrimis, seminibusque tuberculato-scabris facile discernendus.

890. V. sepium. L. P. 42. W. 39.

*β. V. anomala*, *Nobis.*

♃. 5—7. In dumetis, ad sepes ubique. — Flores axillares, sæpius quaterni, purpureo-cyanei; folia multijuga, foliolis ovatis obtusis, cirrhis ramosis; legumen punctatum, glabrum. — Dubia mente huic, ceu proximæ, subscribimus V. anomalam nostram, semel tantum lectam prope *Lüdinghausen*, foliolis ellipticis, inferioribus apice integris, superioribus emarginatis, omnibus angustioribus, mucronatis, stipulis majoribus semisagittatis, præcipue vero floribus ternis, unico pedunculo brevissimo insidente, duobus geminatis, longius pedunculatis, atque legumine (juniore nimirum, adultum non vidimus), hispido diversam.

891. V. Faba. L. P. 47. W. 43.

*β. equina.* *Pers.* P. 47β. W. 43β.

⊙. 6—8. Colitur copiose in agris. — *(Grosse Bohne, Pferdebohne.)* — Posterior differt constanter a priore, quæ multis e regionibus Germaniae exul esse

videtur, caule in eodem solo proceriore, foliolis angustioribus, seminibus multo minoribus, subglobosis, vix compressis.

325. ERVUM. L. P. 1718. W. 1357.

892. E. tetraspermum. L. P. 2. W. 1.

☉. 6, 7. In arvis, sepibus et dumetis frequens. — Pedunculi 1—2flori; flores exigui, e violaceo-purpurascentes; legumina glabra, tetrasperma.

893. E. hirsutum. L. P. 4. W. 3.

☉. 6—8. Inter segetes, praesertim hyemales, passim vitium nimis frequens, rusticis *Ringelwicke* auditum. — Pedunculi multiflori; flores minimi, albidi; legumina hirsuta, disperma.

326. CICER. L. P. 1719. W. 1358.

894. C. Lens. *Willden.* W. 2.

Ervum Lens. L. P. 1718, 5.

☉. 7, 8. Colitur hinc inde, praesertim prope *Rheine.* — *(Linse.)*

327. CORONILLA. L. P. 1728. W. 1367.

895. C. varia. L. P. 13. W. 21.

♃. 6—8. In pascuis ad *Rhenum* vulgaris! — Folia impari-pinnata, jugis 8—12; flores umbellato-capitati, ex albo et roseo varii.

328. ORNITHOPUS. L. P. 1730. W. 1368.

896. O. perpusillus. L. P. 1. W. 1.

☉. ♂.? 5—8. In pascuis sabulosis ubique. — Herba tota pubescens, prostrata, magnitudine variabili pro soli fertilitate; flores axillares, minuti, lutes-

centes, purpureo-striati; legumen curvatum, moniliforme. Planta nobis perennans, saltem biennis videtur.

329. HIPPOCREPIS. L. P. 1731. W. 1369.

897. H. comosa. L. P. 4. W. 4.

♃. 5—7. In pascuis siccis calcareis rarior: *Altenberge! Iburg!* (in utroque loco adeo defloratam vidimus, ut eam vix ceu certam indicare possimus;) non longe extra fines habitat quoque versus *Detmold*, atque nosmet ipsi legimus specimina maxima in pascuis herbidis ad ripas *Rheni!* — Radix lignosa; caules prostrati foliaque glabri, foliolis numerosis, obovatis; pedunculi multiflori; flores lutei; legumina recurva, articulis reniformibus.

330. HEDYSARUM. L. P. 1740. W. 1375.

898. H. Onobrychis. L. P. 118. W. 108.

♃. 5—8. In pascuis, dumetis calcareis: prope *Bielefeld*, A.; *Darup! Billerbeck! Beckum!*; olim forsan ibidem culta, nunc certe spontanea. — *(Esparsette)*. Flores racemosi, roseo-purpurascentes.

331. ASTRAGALUS. L. P. 1745. W. 1379.

899. A. glycyphyllus. L. P. 64. W. 43.

♃. 6, 7. In dumetis, solo calcareo, passim: *Billerbeck*, N.! *Stromberg*, W.!; *Beckum! Oelde!* alibique. — Prostratus; folia impari pinnata, 4—6-juga; pedunculi multiflori; flores lutescentes; legumina subtriquetra, curvata.

332. MELILOTUS. *Lamarck.* P. 1749.

900. M. officinalis. *Lam.* P. 11.

Trifolium officinale. L. W. 1383, 8.

♂. 7—8. In dumetis, præcipue solo calcareo, frequens, interdum etiam in agros excurrit. — Caules erecti, simplices, sæpe orgyales; foliola oblonga, serrata, superiora linearia; corolla citrina, alis vexilloque carinam æquantibus; legumina disperma, reticulata, parce pilosa, demum nigricantes; semina punctulata. — Semel legimus ad ripas *Rheni* hujus plantæ varietatem monstrosam, leguminibus omnibus elongatis, subulatis, abortientibus.

901. M. arvensis. *Wallroth.*

☉. 6—8. In agris et arvis ad fl. *Rhenum* passim non rara; copiose locis salsis prope *Dissen!* — Planta nuperrime a cl. *Wallroth* a priore distincta differt: caulibus adscendentibus, brevioribus, diffusis; foliolis omnibus obovatis, parce dentatis; corollis paulo minoribus, alis vexilloque carina majoribus; leguminibus plicato-rugosis, glabris, helvolis; seminibus denique minoribus, epunctatis. Varietatem flore albo nondum vidimus.

902. M. vulgaris. *Hayne.*

M. officinalis β alba. *Pers.* P. 11 β. Trifolium officinale β. L. W. 1383, 8 β.

♂. 7, 8. In pascuis sterilibus, glareosis ad ripas *Rheni* prope *Wesel!* rarior. — Differt a prioribus caule erecto; foliolis truncatis serratis, inferioribus subrhombeis, superioribus lanceolatis; corolla calycem duplo tantum, nec triplo, superante, alba, carina alis, atque alis iterum vexillo brevioribus; floribus superioribus semper sterilibus; leguminibus monospermis, nudis, rugosis.

333. TRIFOLIUM. L. P. 1750. W. 1383.

903. T. repens. L. P. 11. W. 19.

♃. 5—8. Ubique in pratis, pascuis et arvis. —

*(Weisser oder wilder Klee)*. — Variat ad ripas *Rheni* floribus viviparis.

904. T. hybridum. L. P. 6. W. 18.

♃. 6—8. In pratis, pascuis rarius prope *Bielefeld*, A.; *Dülmen*, N.!; *Coesfeld! Münster! Wiedenbrück! Stromberg!* etc. — Differt a priore caule elatiore, nunquam radicante, calyce et corollis semper roseis, dentibus calycinis subæqualibus.

905. T. pratense. L. P. 31. W. 37.

♃. 5—8. In pratis et pascuis, præcipue humidis, ubique frequens, sæpe etiam in uliginosis.

906. T. sativum. *Crome. (Handb. d. Naturg.)*

T. pratense β sativum. *Sturm.* P. 31β.

♃. 6—10. Colitur ubique, nec non spontanea in agris et pratis siccioribus. — Hanc plantam a præcedente, cui ab auctoribus ceu varietas subscribitur, specie esse distinguendam, nulli dubitamus. Differt vero, præter locum natalem atque florendi tempus: caulibus suberectis, nec prostrato-adscendentibus, glabriusculis, ramosis; foliis caulinis brevius petiolatis; stipulis latioribus, brevius aristatis; foliolis longioribus; capitulo subovato, longius pedunculato, calycibus pilosioribus, dente unico magis elongato; corollis semper pallidioribus, navicula alis breviore; capsula interdum bisperma. Quam denique auctor laudatus de origine ejus australiore habuit opinionem, et nobis ita videtur, cum haec frigore rigido sæpe omnino pereat, prior vero hyemem acerrimum illæsa perduret.

907. T. medium. L. W. 38.

T. flexuosum. *Jacquin.* P. 32.

♃. 6, 7. In nemorosis, dumetis, præcipue calcareis, frequens. — Differt a præcedentibus: caule

flexuoso; stipulis longioribus; dentibus calycinis duobus superioribus brevioribus; spica laxiore; foliis subtus glaucescentibus.

Obs. T. alpestre L., haud longe extra fines, *im Lippischen*, degens, in agro Florulae nostrae, quantum constat, nondum repertum est, atque in montibus Teutoburgicis forsan adhuc latet.

908. **T. arvense.** L. P. 46. W. 50.

⊙. 6—8. In arvis, pascuis sabulosis ubique. — Undique villoso-pubescens. Foliola obovato-linearia; spicæ subcylindraceæ; corolla carnea calyce minor.

909. **T. fragiferum.** L. P. 63. W. 66.

♃. 6—8. In pascuis et pratis humidis haud infrequens. — Habitus T. repentis, differt vero praeter alias notas, calycibus demum inflatis, capsulam tegentibus, ita ut capitulum fructum Fragariae haud male referat.

910. **T. montanum.** L. P. 42. W. 67.

♃. 5—7. In pratis montosis, arvis requietis et ambarvalibus, praesertim calcareis: *Bielefeld* in monte *Altenberg* et prope *Uehrendorf*, A.; *Nienberge! Ravensberg! Iburg!* — Folia breviter petiolata, foliolis subovatis, serrulatis, acutiusculis; flores albi.

911. **T. spadiceum.** L. P. 66. W. 70.

⊙. 7, 8. In pascuis montosis: *Bielefeld*, in monte *Altenberg*, A. — Caulis erectus; foliola infima obcordata, superiora elliptica; spicae densae, demum elongatae, cylindricae; flores aurei, dein spadicei.

912. **T. agrarium.** L. P. 68. W. 69.

⊙. 6—9. In arvis, pascuis siccis, solo sabuloso: *Coesfeld bei der Walkenbrücke!* ad ripas *Rheni* passim! — Caulis erectus, 1—2pedalis; stipulae lanceo-

latae, erectae, glabrae; dentes calycini glabri; foliola lanceolata, serrulata; flores speciosi, aurei.

913. T. campestre. *Schreber.* P. 69.

T. procumbens. *Smith.* W. 71.

☉. 7—9. In agris, inter segetes, hinc inde frequens. — Caulis subprocumbens, diffusus; stipulae oblique reflexae, ciliatae; foliola obovata, obtusa, pedunculum aequantia.

914. T. procumbens. L. P. 70.

☉. 5—8. In pratis, pascuis et sylvaticis satis vulgare. — Caulis prostratus, haud adsurgens; stipulae ovatae, subreflexae, glabrae; foliola obovata, emarginata, pedunculo breviora.

915. T. filiforme. L. P. 72. W. 72.

☉. 6, 7. In pratis et pascuis, praesertim humidiusculis, ubique frequens. — Caulis procumbens, in ramos elongatos divisus; capitula pauciflora, hemisphaerica; foliola obcordata, denticulata; calyces glabri.

334. LOTUS. L. P. 1753. W. 1384.

916. L. corniculatus. L. P. 33. W. 28.

*α. collinus*, *Schlecht.*, hirsutus, caule prostrato solido, foliolis ovatis, parvis, carnosulis.

*β. pratensis*, *Schlecht.*, glabratus, caule diffuso subfistuloso, foliolis majoribus ciliatis.

*γ. uliginosus*, *Hoffm.*, glabratus, elatior, caulibus fistulosis teretibus, foliolis maximis ciliatis, dentibus calycinis reflexis.

♃. 5—8. In pratis, pascuis et sylvaticis, tam siccis quam humidis, ubique copiose. — Planta po-

lymorpha: in siccis apricis minor, carnosula, magis minusve hirsuta; in humidis vegetior, glabrata, debilior. Florum capitula in omnibus depressa; corolla aurea, in siccis sæpius extus rubens; legumina cylindrica, patentia.

335. MEDICAGO. L. P. 1756. W. 1387.

917. M. sativa. L. P. 4. W. 4.

♃. 6—8. Olim culta prope *Darup!*, nunc quotannis sponte ibidem provenit; alibi cultam nondum vidimus. — *(Luzerne)*. Flores violacei, racemosi; legumina anfractibus paucis, nudis.

918. M. falcata. L. P. 5. W. 6.

*α. riparia*, *Nobis*, major, caulibus erectiusculis, foliolis maximis oblongis, apice denticulatis, vix truncatis, racemis elongatis multifloris, floribus majusculis.

*β. pratensis*, *Nobis*, diffusa, foliolis lineari-cuneatis, angustis, apice argute dentatis, truncatis, racemis abbreviatis.

*γ. montana*, *Nobis*, gracilis, caule filiformi decumbente, foliolis parvis, lineari-oblongis, truncatis, subedentulis, racemis paucifloris, capitatis, floribus duplo fere minoribus.

♃. 6—8. Ad ripas fluviorum fere ubique; varietas posterior in pascuis et aggeribus apricis calcareis prope *Neuenberge!* — Corolla lutea; legumina falcata, vix contorta. Var. γ ulteriorem examinationem mereri videtur.

919. M. lupulina. L. P. 10. *(nec Willd.)*

⊙. 6—9. In agris, pratis, sylvaticis, præsertim solo calcareo, abundanter. — Planta magnitudine

valde variabili. Foliola plerumque subrotundata, rarius versus apicem dilatata; stipulæ dentatæ; flores parvi, lutei; legumina reniformia, monosperma, glabra aut parce adpresso-pubescentia. — Similem hujus plantæ varietatem ac illam, de qua sub Meliloto officinali mentionem fecimus, monstrosam legimus prope *Darup*, leguminibus elongatis, utrinque attenuatis, subulatis, sterilibus.

920. **M. Willdenowii.** *Decandolle.*

M. lupulina. *Willd.* (non L.) W. 8.

♂. 6—9. In arvis et pascuis passim, præcedente paulo rarior. — A præcedente simillima distinguitur statura sæpe majore, caulibus minus rigidis, foliolis cordato-obovatis, stipulis integris, præcipue vero leguminibus pilis divergentibus hispidis. Hæc est illa, cujus semina ex Anglia advecta ante aliquot annos fraudulento negotio sub Trifolii sativi nomine divendita sunt.

921. **M. minima.** *Willden.* P. 38. W. 35.

⊙. 5, 6. In pascuis siccis, arvis: prope *Bielefeld* vulgaris, A.; ad ripas *Rheni* rarior! — Tota sericeo-pubescens; corolla parva, flava; legumina cochleata, demum glabrata, anfractibus externe seriebus aculeorum tribus munita.

CLASSIS XVIII.

# POLYADELPHIA.

## POLYANDRIA.

---

### 336. HYPERICUM. L. P. 1338. W. 1397.

922. H. quadrangulare. L. P. 58. W. 58.

*α. humile*, *Nobis*, caule spithamæo, apice tantum ramis brevibus instructo, gracili, angulis haud membranaceis, foliis ovatis, semiamplexicaulibus, obliterate venosis, floribus exiguis confertis.

*β. alatum*, *Retz.* caule multo crassiore, plerumque colorato, angulis membranaceo-alatis, foliis semiamplexicaulibus, ovatis, nervosis, floribus confertis.

*γ. patulum*, *Nobis*, caule a basi ramoso, ramis elongatis, laxis, foliis ellipticis, basi non amplexicaulibus, floribus laxis, paucioribus.

♃. 7, 8. In pascuis humidis, ad fossas vulgare; α solo lutoso; β solo argilloso-calcareo; γ in sylvaticis umbrosis. — Caule quadrangulo, floribusque quam in sequente multo minoribus facile distinguendum.

923. H. dubium. *Leers.* P. 60. W. 59.

♃. 7, 8. In dumetis, ad margines argrorum et sylvarum frequens. — Sequenti simile, differt vero: floribus saepius majoribus, laciniis calycinis latioribus obtusis, caule subquadrangulo, foliisque plerumque impunctatis. Variat in umbrosis caule paucifloro, foliis maximis.

924. **H. perforatum.** L. P. 61. W. 60.

*β. microphyllum.* *Dec.* (?)

*γ. angustifolium.* *Dec.*

♃. 6—9. In sylvaticis, dumetis, pascuis et arvis ubique; β ad ripas *Rheni*, haud frequens; γ ad margines sylvarum, praecipue solo calcareo. — Caulis anceps; calycis laciniae lanceolatae, acutae; folia pellucide-punctata. Varietas angustifolia non nisi foliis linearibus atque habitu graciliore differt a vulgari. Illa autem, quam sub titulo H. p. microphylli *Dec.* dubitantes enumeravimus, longius recedit, atque forsan specie ab illo distinguenda. Distinguitur autem facile: caule superne ramosissimo, folioso, basi nudo, foliis nimirum inferioribus cito deciduis; floribus in racemos bi- et trichotomos, elongatos, subsecundos digestis; calycibus duplo minoribus, ovato-lanceolatis; petalis brevioribus, latioribus, aureis, antherisque glandulis nigris obsitis; foliis denique minoribus, parcius pellucide punctatis.

925. **H. humifusum.** L. P. 63. W. 62.

♃. 6—9. In agris, arvis et pascuis, praecipue lutosis et argillosis vulgare. — Caules tenues, prostrati, glabri; flores parvi, flavi, calycibus petala superantibus.

926. **H. montanum.** L. P. 71. W. 68.

♃. 7—9. In sylvaticis montosis calcareis rarius: *Nienberge* prope *Schulze Gassel*, H. et K.; *Bielefeld*, A.; *Lengerich*, B.; *Iburg! Ravensberg! Beckum!* — Erectum; folia congenerum nostratum maxima, superiora a floribus remota; panicula terminalis, coarctata; flores citrini, speciosi, bracteis calycibusque glanduloso-dentatis.

927. **H. hirsutum.** L. P. 75. W. 71.

♃. 6—8. In dumetis, sylvaticis nemorosis, solo calcareo frequens. — Totum hirsutum, caule stricto; panicula thyrsoidea, floribus mediocribus aureis; calycibus bracteisque serrato-glandulosis.

928. **H. elodes.** L. P. 76. W. 72.

♃. 7—9. In palustribus et fossis turfosis minime apud nos rarum. — Caules in aquosis spongiosis procumbentes, radicantes, in exsiccatis vero sæpe omnino erecti, teretes, cum foliis ovato-subrotundis, dense villosi; panicula pauciflora, demum lateralis; flores citrini, parvi, petalis plerumque inexplicatis, calycibus glabris, ciliatis.

929. **H. pulchrum.** L. P. 82. W. 78.

♃. 7—9. In sylvaticis sterilioribus hinc inde, non frequens: prope *Hullern* atque *in der hohen Mark*, N.!; *Münster* prope *Lütjenbeck*, H. et K.; *Bentheim hinter dem Walde*! *Coesfeld am Berge!* — Caulis glaberrimus, rubicundus, strictus; folia cordato-amplexicaulia, parva, subtus glauca; flores aurei, extus rubri; calyces serrato-glandulosi, obtusi.

CLASSIS XIX.

# S Y N G E N E S I A.

## POLYGAMIA AEQUALIS.

---

### 337. TRAGOPOGON. L. P. 1758. W. 1400.

930. **T. pratensis.** L. P. 1. W. 1.

♂. 5—7. In pratis, pascuis, versuris, ad ripas *fl. Lippe*, N.!; *Darup! Coesfeld! Münster!* alibique. — Involucri foliola *) corollæ radium subæquantia; antheræ fuscæ; folia apice flaccida. Flores, nonnisi horis antemeridianis expansi, interdum uredine combusti occurrunt.

931. **T. orientalis.** L. P. 4. W. 4.

♂. 6, 7. In pascuis siccioribus ad ripas *Rheni: Wesel*! *Rees! Emmerich*! haud frequens. — Distinguitur a præcedente: statura minore, corollæ radio subtus luteo, nec fusco-striato, involucrum parum superante, antheris luteis, nec fuscis, foliis undulatis, apice circinatis. An idem cum T. revoluto *Schweiger?*

932. **T. porrifolius.** L. P. 8. W. 7.

♂. 6—8. In pratis humidis: *Coesfeld an der Berkel!*; aufuga forsan ex hortis, ubi colitur. — Flores

---

*) Flosculis singulis calyce proprio instructis, perianthium floris compositi, haud apte olim cum calyce confusum, præeunte cl. *Decandolle*, involucrum diximus. Melius autem ad illud designandum terminus proprius in re herbaria re-recipiendus videtur, ne prior in vocem vagam depravetur.

res violacei, corollis involucro brevioribus, antheris nigris; folia stricta.

Obs. Cum priori quoque in hortis colitur Scorzonera hispanica L., atque exinde cum quisquiliis ejecta nonnunquam ceu spontanea occurrit, neque vero pro inquilina censenda.

## 338. SONCHUS. L. P. 1763. W. 1403.

933. S. palustris. L. P. 9. W. 9.

♃. 7, 8. In pratis humidis, ad margines fossarum: *Bentheim! am münsterischen Kanal unterhalb der steinernen Schleuse! Dissen* prope salinam! — Differt a sequente, cui valde affinis, foliis basi sagittatis, pedunculis involucrisque pilis densis, glandulosis, atris obsitis, radice non repente, atque floribus paulo minoribus.

934. S. arvensis. L. P. 10. W. 10.

♃. 6—8. In agris, inter segetes, præsertim solo argilloso, vulgaris. — Folia basi cordata; pedunculi involucraque pilis glandulosis, fuscis hispida; radix repens.

935. S. oleraceus. L. P. 17. W. 17.

*α. integrifolius*, foliis subintegris parce dentatis, sinuatisve.

*β. laciniatus*, foliis pinnatifidis vel runcinatis, lacinia extima plerumque majore triangulari.

☉. 6—10. In cultis, agris, ad vias, sepes ubique vulgaris. — A sequente vix nisi achaeniis immarginatis, margine dorsoque transversim corrugatis, distinguendus.

936. S. fallax. *Wallroth.*

S. asper. *auctorum* (ex parte). P. 17$\beta$. W. 17$\gamma$.

⊙. 7—9. Cum priore fere ubique, totoque habitu atque varia foliorum forma illi similis. Distinguitur vero haud ægre achæniis marginatis, lævibus, utrinque tristriatis, striis vix elevatis, neque uti in priore transversim rugulosis, fere tuberculatis. Cæterum hæc planta æque ac prior occurrit foliis laciniatis, laciniis divisis, divaricatis, valde spinosis, atque hæc praecipue est illa forma, quam autores sub nomine S. asperis *Hoffm.* a præcedente distinxerunt, neglecta achaeniorum differentia.

### 339. LACTUCA. L. P. 1764. W. 1404.

937. **L.** sativa. L. P. 1. W. 1.

⊙. 7, 8. Ignotae patriae planta ubique copiose culta, jam inquilina facta, atque non raro etiam in agris sponte obvia.

938. **L.** Scariola. L. P. 9. W. 11.

⊙. 7, 8. In pascuis siccis rarior: prope *Wesel! Rees!* locisque vicinis. — Caules inferne, foliaque aversa, basi sagittata, runcinato-pinnatifida, superiora lanceolata, margine et subtus ad costam aculeolati.

### 340. CHONDRILLA. L. P. 1765. W. 1405.

939. **C.** juncea. L. P. 1. W. 1.

♃. 7—9. In pascuis siccis et ambarvalibus: prope *Wesel!* rarissima. — Folia radicalia runcinata, cito emarcida, caulina parva, lineari-lanceolata, integerrima; caulis ramosissimus, junior basi hispidus, ceterum glabriusculis; flores parvi, lutei.

### 341. PRENANTHES. L. P. 1766. W. 1406.

940. **P.** muralis. L. P. 32. W. 30.

☉. 6—8. In nemorosis umbrosis, nec non in ruderatis fere ubique copiose. — Folia lyrato-pinnatifida, lobo terminali maximo quinquangulari; flores parvi, corolla citrina. In siccis herba tota sæpius purpurascit.

342. LEONTODON. L. P. 1767. W. 1407.

941. L. Taraxacum. L. P. I. W. I.

*β. laciniatus.* *Pers.* P. 1 β.

♃. 4—9. In pratis, pascuis et sylvaticis planta vulgatissima. — Folia omnia radicalia, in α runcinato-dentata, in β tenuissime pinnatifida, laciniis angustis, acutis; involucri foliola exteriora linearia, reflexa.

942. L. arcuatus. *Tausch.*

*α. glaber*, *Nob.*, foliis viridibus glabris.

*β. tomentosus*, *Nob.*, foliis supra dense tomentosis, sæpe sordide purpurascentibus.

♃. 5—8. In pascuis et aggeribus sabulosis passim cum priore: *Coesfeld* in pago *Stockum! Münster vor Aegidii Thor!* nec non *bei der Schiffahrt!* aliisque proculdubio locis. — Præcedentis varietati β valde similis, differt autem: foliorum laciniis arcuato-recurvis, obtusiusculis; foliolis involucri exterioribus abbreviatis, ovatis, laxis, nec linearibus reflexis. Varietas β, quam loco ultimo laudato legimus, tomento denso in pagina foliorum superiore differt, quæ in priore, æque ac in congeneribus utrinque glaberrima esse solent.

943. L. palustris. *Smith.* P. 3.

L. lividus. *Waldst. et Kit.* W. 3.

♃. 6, 7. In pratis et pascuis humidis sabulosis:

prope *Lengerich*, B.; *Münster auf Mauritz-Heide! Lodden-Heide!* versus *Jüdefeld! Gescher! Bentheim!* etc. — A præcedentibus distinguitur: statura plerumque minore; scapo folia subæquante; foliis sinuato-dentatis, suberectis; involucri foliolis exterioribus ovatis arcte adpressis; flosculis radii dorso purpureis.

### 343. APARGIA. *Scopoli.* P. 1768. W. 1408.

944. **A. autumnalis.** *Scopoli.* P. 9. W. 9.

♃. 7—10. In pascuis et sylvaticis sabulosis ubique. — Folia radicalia lineari-lanceolata, dentata vel pinnatifida, sæpius glabra; scapus ramosus, pauciflorus; pedunculi arcuato-adscendentes, squamosi, apice incrassati, subvillosi; involucrum pubescens; flosculi aurei, extus rubicundi. Variat foliis angustissimis, scapo decumbente.

945. **A. hispida.** *Scopoli.* P. 10. W. 11.

♃. 6—9. In pascuis et sylvaticis argillosis et calcareis, vulgaris. — Folia radicalia varie dentata, pilis plerumque furcatis hispida; scapi uniflori, erecti, hispidi; flos cernuus, expansus erectus, flavus, involucris hispidis, flosculis ore pilosis.

### 344. THRINCIA. *Roth.* P. 1769. W. 1409.

946. **T. hirta.** *Roth.* P. 1. W. 1.

♃. 6—9. In pascuis et ericetis sabulosis vel glareosis: *Bielefeld* in monte *Sparenberg*, A.; *Lengerich*, B.; *Reken! Schermbeck! Hohe Mark!* etc. — Folia radicalia dentata vel integra, hispida, pilis simplicibus vel furcatis; scapi uniflori, folia duplo superantes, hispidi; flos cernuus, dein erectus, præcedente duplo minor, flavus extus sanguineus, involucro glabriusculo, flosculis ore imberbibus; achaenia exteriora pappi loco membrana brevi multifida coronata.

### 345. PICRIS. L. P. 1771. W. 1410.

947. **P. hieracioides.** L. P. 1. W. 1.

♃. 7, 8. In ruderatis, ambarvalibus, ad vias, praecipue solo argilloso: *Dülmen hinter dem Siechenhause*, N.; prope *Uehrendorf*, A.; *Münster! Coesfeld*! alibique non adeo rara. — Caulis erectus, ramosus; folia lanceolata, amplexicaulia, dentata, parum undulata; involucrum exterius interiore triplo brevius, laxe patens; interioris foliola apice conniventia, villosa, scabra, flosculis flavis duplo breviora.

### 346. HIERACIUM. L. P. 1773. W. 1411.

948. **H. Pilosella.** L. P. 11. W. 10.

♃. 5—7. In pascuis siccis apricis ubique vulgare. — Planta stolonibus repentibus, foliosis aucta; scapi uniflori, simplices, tomentosi; folia elliptica, supra viridia, hispida, subtus tomentoso-nivea; involucrum pilis albis nigrisque hirsutum; flosculi citrini, exteriores subtus purpureo vittati.

949. **H. Lactucella.** *Wallroth.*

H. dubium, *auctorum*. P. 12. W. 11. (*excl. synon. plur.*)

♃. 6—8. In pratis et pascuis humidis haud infrequens. — Differt a praecedente simili: foliis utrinque glabris, saepe glaucescentibus, basin versus parce ciliatis; scapo 1—4floro; floribus minoribus. Hieracium dubium, quod teste cl. *Smith* in herbario Linnaeano desideratur, planta dubia est, atque illa, quam autor laudatus sub hoc titulo descripsit, foliis subtus lanatis a nostrate abunde differt, neque hucusque in Germania lecta esse videtur.

950. **H. cymosum.** L. P. 17. W. 16. (?)

♃. 5—8. In sylvaticis et pascuis montosis: prope *Lengerich et Leden*, B. — Hier. cymosum titulus factus est nimis vagus, neque de planta nobis nondum communicata certioris quidquam proferre possumus.

951. **H. murorum.** L. P. 40. W. 41.

*β. H. pictum. Pers.* P. 62*.

♃. 5—8. In sylvaticis siccis ubique; β in lapidosis calcareis non infrequens. — Caulis erectus, paniculatus, oligophyllus; folia radicalia plurima, petiolata, ovata, basi grosse dentata, interdum subpinnatifida, caulina pauca, saepe unicum, sessile; in β folia omnia maculis fuscis contaminata, flores aurei, pedunculis incanis, involucris dorso glanduloso-hispidis.

952. **H. sylvaticum.** *Gouan.* P. 41. W. 42.

♃. 7, 8. In nemorosis montosis calcareis passim: prope *Dülmen*, N.; *Coesfeld! Darup! Baumberg!* alibique. — Praecedente plerumque major, caule magis folioso, foliis radicalibus basi attenuatis, in petiolum decurrentibus, minus profunde dentatis, involucris vix glandulosis, floribus paniculato-corymbosis distinctum; caeterum illi nimis affine.

953. **H. paludosum.** L. P. 43. W. 44.

♃. 6, 7. In pratis, pascuis et sylvaticis humidis: *Dülmen im Haselbruche*, N.!; *Darup am Sudfelde!* rarius. — Caulis erectus, glaber; folia ovata, acuminata, dentata, cordato-amplexicaulia, glabra; involucrum pilis nigricantibus hispidum; flores paniculati, citrini.

954. **H. sabaudum.** L. P. 72. W. 65.

♃. 8, 9. In sylvaticis nemorosis, praecipue calcareis: frequens prope *Darup et Notteln!* — Caulis

erectus, strictus, polyphyllus, apice paniculatus; folia inferiora lanceolata, superiora sensim breviora, ovata, dentata; involucrum fusco-virens; corolla aurea. Planta ceterum magnitudine et habitu valde variabilis, in sterilioribus sæpe occurrit caule vix semipedali, unifloro, in umbrosis pinguioribus caule 4—5pedali, multifloro, in pascuis autem, caule juniore a pecoribus præmorso, plures sæpe ramos cauliformes protrudit, foliis angustis lanceolatis obsitos.

955. H. umbellatum. L. P. 73. W. 70.

♃. 7—9. In sylvaticis et dumetis, præcipue sabuloso-turfosis vulgare. — A præcedente facile discernitur foliis angustioribus, glabriusculis; floribus paniculato-umbellatis, atque involucri foliolis squarrosis, semper eglandulosis. Variat autem, more prioris, in sterilioribus locis caule uni-aut paucifloro, atque foliis plus minusve dentatis, ovato-lanceolatis et lineari-lanceolatis.

### 347. CREPIS. L. P. 1774. W. 1412.

956. C. tectorum. L. P. 22. W. 22.

*β. C. segetalis. Roth.*

☉. 6—9. In pascuis, ruderatis, aggeribus fere ubique; β in agris præsertim sabulosis inter segetes frequens. — Planta, congenerum more, valde polymorpha. Folia radicalia plerumque runcinata, caulina basi sagittata, subpinnatifida, in β integerrima; flores paniculati, parvi, lutei; involucrum muricato-scabrum; achaenia brunnea, apice attenuata, costis transverse rugosis. Hyeme miti varietatem β in arvis sæpe perennantem vidimus, ineunte vere florentem, caule valde abbreviato, fere nullo, floribus brevissime pedunculatis inter folia densa latentibus, foliis plerumque basi attenuatis, integerrimis, sublinearibus.

957. C. polymorpha. *Wallroth.*

*α. C. pinnatifida. Willd.* P. 27. W. 26.

*β. C. virens.* L. P. 28. W. 27.

☉ ♂. 6—9. In pratis et sylvaticis humidis graminosis; *β* in agris, arvis et pascuis siccioribus. — Dignoscitur a præcedente: floribus duplo minoribus, involucris vix glandulosis, achæniis maturis gilvis, utrinque parum attenuatis, curvatis, pappo cito deciduo duplo brevioribus. Habitus autem plantae pro loco natali valde variabilis; gaudet nimirum varietas *α* caule erecto stricto, foliis caulinis plerumque pectinato-pinnatifidis; varietas *β* autem caule diffuso, prostrato, foliis caulinis sinuato-dentatis aut subintegerrimis. — Exstat praeterea in herbario nostro specimen, ab am. D. *Weihe* nobis (cum?) pro varietate hujus speciei missum, in agris et arvis occurrens, foliis radicalibus profunde runcinatis, caule erecto firmo, floribusque multo majoribus aurantiacis abunde diversum, a Cr. agresti *Waldst. et Kit.*, planta caeterum hungarica, nullo modo distinguendum. Hanc igitur ulteriori botanicorum examinationi commendamus.

958. C. biennis. L. P. 25. W. 24.

♂. 5—8. In pratis, ad fossas rarior: prope *Lengerich*, B.; ad ripas *fl. Lippe et Rheni!* passim. — Praecedentibus validior, rigidior, omnibus partibus hispida; achaenia ferrugineo-fusca, multisulcata, costis crenulatis; folia runcinato-pinnatifida.

Obs. Crep. foetidam L., in montosis calcareis prope *Tecklenburg* nobis indicatam, nec communicatam, ceu dubiam reponimus.

### 348. HYPOCHOERIS. L. P. 1779. W. 1421.

959. **H. glabra.** L. P. 5. W. 4.

⊙. 6—8. In arvis et campis arenosis, pascuis glareosis frequens. — Herba undique glabriuscula; caules ramosi, erecto-patentes, parum foliosi, primordialis uniflorus, nudus; folia radicalia plurima, sublingulata, dentato-sinuata; flores erecti, citrini, matutini; involucri foliola imbricata, glauca; pappus achaeniorum disci stipitatus, radii sessilis.

### 349. ACHYROPHORUS. *Scopoli.*

960. **A. radicatus.** *Scopoli.*

Hypochoeris radicata. L. P. 1779, 6. W. 1421, 5.

♃. 6—8. In pascuis, versuris, sylvaticis, ad vias ubique. — Differt a praecedente simili: foliis omnibus radicalibus piloso-hispidis; achaeniis omnibus pappo stipitato instructis.

961. **A. maculatus.** *Scopoli.*

Hypochoeris maculata. L. P. 1779, 2. W. 1421, 2.

♃. 6, 7. In sylvaticis montosis calcareis: prope *Lengerich,* B. — Distinguitur caule involucrisque hirtis, nec glabris, floribus majoribus, aureis, foliis plerumque purpureo-maculatis, atque achaeniis transverse rugulosis.

### 350. LAPSANA. L. P. 1780. W. 1422.

962. **L. communis.** L. P. 2. W. 4.

⊙. 6, 7. Ad sepes, in cultis, agris et arvis vulgaris. — Folia inferiora lyrata, caulina ovata, summa lanceolata integerrima; caulis erectus aut basi tantum aut undique hirsutus; flores parvi, lutei, involucris glabris, fructiferis angulatis.

## 351. ARNOSERIS. *Gærtner.*

963. **A. pusilla.** *Gærtner.*

Hyoseris minima. L. P. 1770, 9. Lapsana pusilla. *Willd.* W. 1422, 2.

☉. 6, 7. In agris inter segetes, solo arenoso, vulgaris. — Folia omnia stellatim terrae adpressa, dentata, hirta; caules erecti, aphylli, pauciflori, pedunculis apice incrassatis; flores parvi, citrini.

## 352. CICHORIUM. L. P. 1787. W. 1427.

964. **C. Intybus.** L. P. 1. W. 1.

♃. 6—9. Ad agrorum margines, vias, solo calcareo et glareoso ubique. — Florum glomeruli axillares, subsessiles, geminati. Variat corollis cœruleis, dilute purpureis et albis.

965. **C. Endivia.** L. P. 3. W. 3.

☉. ♂. 6—8. Ex *India orientali* advectum, nunc jam dudum inquilina factum. — Pedunculi axillares geminati, altero elongato unifloro, altero brevissimo subquadrifloro.

## 353. ARCTIUM. L. P. 1798. W. 1429.

966. **A. majus.** *Schkuhr.*

A. Lappa. L. P. 1. W. 1. *(ex parte.)*

♂. 7, 8. Ad sepes passim: *Darup am Sudfelde! Wiedenbrück!* ad ripas *fl. Lippe et Rheni!* alibique, sequentibus rarius. — Caulis saepe orygalis; flores maximi, paniculati, involucri foliolis omnino nudis, margine paleaceis.

967. **A. Bardana.** *Willd.* W. 2.

A. tomentosum. *Pers.* P. 2.

♃. 7, 8. In ruderatis, ad sepes fere ubique haud infrequens. — Floribus minoribus, paniculato-glomeratis, atque involucri foliolis undique arachnoideo-tomentosis facile dignoscendum.

968. A. minus. *Schkuhr.* P. 1 β.

♃. 7, 8. In ruderatis, ad vias vulgare. — Flores minores, in racemos foliosos apice subglomeratos digesti, involucri foliolis junioribus plerumque parce tomentosis, adultis denudatis.

354. CARDUUS. L. P. 1802. W. 1433.
*(foliis decurrentibus; pappo scabro.)*

969. C. nutans. L. P. 6. W. 6.

♂. 6—9. In ruderatis, ad vias, praecipue vero abundat in arvis requietis argillosis. — Flores subsolitarii, magni, cernui; folia sinuato-pinnatifida, pinnis spinoso-dentatis.

970. C. crispus. L. P. 13. W. 13.

☉. 6—8. In ruderatis, ad sepes, locis humidis passim rarior. — Flores plures aggregati, breviter pedunculati, involucri foliolis subulatis patulis, nec recurvis; folia oblonga, sinuata, margine spinosa, subtus lanuginosa; semina lævia.

971. C. tenuiflorus. *Smith.* P. 12. W. 14.

♂. et ☉. 6-9. Ad vias, circa domicilia, passim: *Coesfeld! Darup! Münster! Wesel!* etc. — Herba tomentoso-albida; folia sinuata, planiuscula, supra saturate viridia, subtus lanata; flores congesti, terni aut quaterni, involucro subcylindrico, foliolis planis, erectis, læviusculis, acute spinosis.

972. C. acanthoides. L. P. 11. W. 9.

⊙. 6—8. In ruderatis, ad vias; prope *Coesfeld! Münster! Wesel!* atque procul dubio pluribus locis haud infrequens. — Flores quam in praecedente paulo majores, longius pedunculati, involucri foliolis apice recurvis; folia utrinque viridia et glabriuscula.

*(foliis decurrentibus; pappo plumoso.)*

973. **C. palustris.** L. P. 41.

Cnicus palustris. *Roth.* W. 1434, 1.

♃. 7, 8. In pratis humidis, ad fossas vulgaris. — Caulis subsimplex, strictus, non raro humanam altitudinem superans, superne parce foliosus; flores racemoso-glomerati, involucri foliolis ovato-lanceolatis, adpressis.

974. **C. lanceolatus.** L. P. 50.

Cnicus lanceolatus. *Roth.* W. 1434, 10.

♂. 6—9. In arvis, pascuis, ad vias ubique. — Flores magni erecti; involucrum ovatum, foliolis acute spinosis, adscendentibus; foliorum lobi divaricati, angusti, mucronato-spinosi, spinis flavis nitidis.

*(foliis non decurrentibus; pappo plumoso.)*

975. **C. arvensis.** *Curtis.* P. 69.

Serratula arvensis. L. W. 1432, 20.

♃. 6—8. In arvis et agris vitium nimis frequens, nec non in ruderatis, ad vias ubique. — Radix repens, perennis, nec biennis, ut alii asseruerunt, difficillime exstirpanda; folia pinnatifida, valde spinosa; involucri foliola ovata, spinulosa, apice patentia.

976. **C. acaulis.** L. P. 85.

Cnicus acaulis. *Roth.* W. 1434, 40.

*β. C. caulescens.* *Pers.* P. 85 β.

Cnicus dubius. *Willd.* W. l. l. β.

♃. 6—8. In pascuis sylvaticis, praecipue calcareis haud infrequens; β in sylvaticis umbrosis prope *Darup bei der Kapelle!* — A congeneribus facile distinguitur foliis omnibus radicalibus, stellatim terrae adpressis, florem solitarium, rarius plures, in medio foventibus. In umbrosis pedunculus interdum cauliformis evadit, foliosus, nonnunquam fere pedalis, atque ita varietatem β exhibet, nullo alio discrimine a vulgare diversam.

977. **C. oleraceus.** L. P. 79.

Cnicus oleraceus. *Willd.* W. 1434, 36.

♃. 7, 8. In pratis humidis rarior: frequens prope *Wiedenbrück! Langenberg! Stromberg! Oelde!* locisque vicinis. — Tota subglabra, omniumque congenerum mitissima stirps. Singuli flores bractea foliacea, magna, flavo-virescente suffulti, ochroleuci, magni.

Obs. Serratula tinctoria L., haud longe extra fines nostros *im Lippischen* degens, ex agro quoque nostro forsan non exulat.

355. SILYBUM. *Gærtner.*

978. **S. marianum.** *Gærtner.*

Carduus marianus. L. P. 1802, 35. W. 1433, 31.

♂. 7, 8. In ruderatis, ad sepes: *Darup! Coesfeld! Münster!* alibique haud ita frequens. — Folia magna, nitida, venis albis pulcherrime picta; involucri foliola arcte adpressa, apice appendiculata, appendicibus refracto-patulis, spinoso-rostratis; corollae purpureae. Plantam hanc vere indigenam esse, non dubitandum.

356. ONOPORDON. L. P. 1800. W. 1435.

979. **O. Acanthium.** L. P. 1. W. 1.

♂. 6—8. In ruderatis, ad vias: *Wetteringen* in cœmeterio, H. et K.; frequens versus ripas *Rheni*! — Planta facie Cardui, saepe orgyalis, undique lanuginosa, caule pedunculisque late alatis; flores pallide purpurei.

357. CARLINA. L. P. 1791. W. 1437.

980. **C. vulgaris.** L. P. 10. W. 9.

♂. 7, 8. In pascuis siccis et sylvaticis, praecipue calcareis vulgaris. — Facies Cardui; folia superiora sensim minora, dein in involucrum transeuntia, quorum interiora longiora, luteo-albida, corollas mentiuntur; corollae purpureo-albidae.

358. BIDENS. L. P. 1810. W. 1447.

981. **B. tripartita.** L. P. 4. W. 1.

☉. 7—9. In uliginosis, fossis ubique. — Folia opposita, trifida seu pinnatifida; flores solitarii, suberecti, flosculis uniformibus, tubulosis, flavis. Pro soli fecunditate valde variat magnitudine.

982. **B. cernua.** L. P. 5. W. 4.

*β. B. minima.* L. P. 5*γ*. W. 4*β*.

☉. 8, 9. In inundatis, ad fossas vulgaris; *β* copiose in turfosis exsiccatis. — Folia simplicia, lanceolata, serrata; flores cernui, aurei. Caulis in *β* palmaris aut minor, uniflorus, simplicissimus. Coreopsis Bidens L., varietas floribus radiatis, intra fines nostros nondum nobis obvia fuit.

359. EUPATORIUM. L. P. 1821. W. 1454.

983. **E. cannabinum.** L. P. 25. W. 23.

♃. 7, 8. Locis humidis, ad fossas ubique. —

Caules 3—5pedales, foliosi; folia 3—5partita; corymbus terminalis multiflorus; flores dilute purpurei, flosculis paucis, tubulosis.

## POLYGAMIA SUPERFLUA.

### 360. TANACETUM. L. P. 1836. W. 1472.

984. T. vulgare. L. P. 17. W. 18.

♃. 7, 8. Ad sepes, fluviorum ripas, in ambarvalibus fere ubique. — Folia bipinnatifida, laciniis serratis; flores corymbosi, hemisphaerici, supra planiusculi, aurei. Colitur in hortis varietas foliis crispatis.

### 361. ARTEMISIA. L. P. 1837. W. 1473.

985. A. campestris. L. P. 28. W. 28.

♃. 8, 9. In pascuis sterilibus arenosis, ad ripas fl. *Lippe et Rheni* copiose. — Herba fere inodora; caules virgati, adscendentes, diffusi, rubicundi; folia tenuiter pinnatifida, laciniis subtus subpilosis, cæterum cum caule glabra; flores numerosi cernui, fusco-virides, parvi.

986. A. maritima. L. P. 44. W. 42.

♃. 8. Ad ripas fl. *Emse* prope *Rheine,* ad viam, qua itur ad *Lingen,* W. — Planta nobis non visa; an cum sequente commutata?

987. A. pontica. L. P. 58. W. 56.

♃. 8, 9. In aggeribus siccis, ad agrorum margines: *Dülmen an der lütken Heide, bei der Eisgrube, auf dem Teutentrott,* N.!; *Rheine bei der neuen Mühle,* M.! — Caulis erectus; folia multipartita, subtus incano-tomentosa, laciniis divaricatis, lineari-

bus, ramea subsimplicia; flores nutantes, pedunculati, subglobosi.

988. A. vulgaris. L. P. 67. W. 65.

♃. 7—9. Ad sepes, in ruderatis, ubique vulgaris. — Caules 3—6pedales, erecti, ramosi; folia pinnatifida, supra atro-viridia, glabra, subtus nivea; flores sessiles, erecti, ovati, lanati.

989. A. Absinthium. L. P. 65. W. 63.

♃. 7—9. In ruderatis, ad pagos, vias frequens. — *(Wermuth)*. Hæc a præcedentibus recedit receptaculo piloso, quod in illis nudum est, cæterum vero nimis affine, ut ex eo proprium genus exstrui possit.

Obs. A. Dracunculus L. ubique in hortis rusticorum colitur, neque vero inter inquilinas enumeranda videbatur.

362. GNAPHALIUM. L. P. 1840. W. 1474.

990. G. dioicum. L. P. 100. W. 87.

♃. 6, 7. In ericetis siccis, pascuis elatioribus ubique; in calcareis præcipue lætatur. — Flores dioici, maris albi, feminæ rosei, magisque elongati.

991. G. arenarium. L. P. 56. W. 47.

*β. angustifolium*, *Nobis.*

♃. 7—9. In pascuis sterilibus arenosis: *Halteren*, N.; *Münster bei der Schiffarth*, H. et K.!; *Halle! Brackwede*! *Rheine*, M.; alibique. — Herba tota incano-tomentosa; radix lignescens; flores terminales corymboso-conferti, involucri foliolis intense sulphureis, flosculis aureis, omnibus hermaphroditis, (Elychrysum *Decand.*). — Quod sub β huic ceu varietatem subscripsimus, prope *Lippspringe in der Senne* lectum, foliis angustioribus cauleque minus dense to-

mentosis, floribus laxioribus, pallidioribus a priore recedere videtur, e speciminibus male exsiccatis autem haud certe describendum.

992. **G. luteo-album.** L. P. 96. W. 56.

⊙. 7, 8. In pascuis sabulosis, præcipue locis hyeme inundatis: ad ripas *fl. Lippe!* prope *Sythen! Telgte! Münster! Bentheim* in fissuris rupium! etc. — Caules plerumque erecti, basi ramis elongatis adscendentibus aucti, cum foliis undique albido-tomentosi; flores terminales, conglomerati, basi lanati, involucri foliolis pallide citrinis, flosculis flavescentibus, femineis stigmate exserto sanguineo. Specimina, quæ prope *Bentheim* legimus, e fissuris rupium enata, differunt a vulgari caulibus pluribus e radice sublignescente (an perennante?), elongatis, flaccidis, procumbentibus, foliis caulinis superioribus duplo triplove longioribus, apice vix attenuatis, minus lanatis, floribus saturatius coloratis, laxe corymbosis.

993. **G. rectum.** *Smith.* W. 93.

G. sylvaticum. *Pers.* P. 107.

♃. 7—9. In sylvaticis et arvis argillosis frequens. — Caulis erectus aut adscendens, simplex vel ramulis auctus, varia magnitudine; folia supra denudata, subtus tomentoso-alba; spica vel panicula stricta, sæpe composita; flores axillares et terminales, involucris fuscescentibus. G. sylvaticum L., huic nimis affine, differt tantum caule simpliciore, foliis utrinque lanatis, floribusque nigricantibus.

994. **G. uliginosum.** L. P. 112. W. 106.

⊙. 7, 8. Locis humidis, in agris, sylvaticis, ad fossas ubique. — Radix ramosa; caulis a basi plerumque ramosissimus, diffusus, interdum erectus, apice tantum parum ramosus; folia lineari-lanceolata,

basi attenuata, utrinque lanata; corymbi terminales densi; involucri foliola lanceolata, fusco-citrina; receptaculum scrobiculatum. Præ aliis variat magnitudine pro soli indole plus minusve fertili.

995. G. gallicum. *Smith.* W. 115.

Filago gallica. *Pers.* P. 1841, 2.

⊙. 7, 8. In arvis et agris argillaceis rarius prope *Nienberge!* et versus *Altenberge*! — Differt a præcedente: radice parva, simplici; caule erecto, basi simplici, stricto, superne ramoso; foliis lineari-subulatis, margine subrevolutis; floribus aggregatis axillaribus, extus lanatis; involucri foliolis carinatis, dorso viridibus; receptaculo denique parvo, tuberculato. Cum sequentibus commutari nequit.

996. G. germanicum. *Smith.* W. 114.

Filago germanica. L. P. 1841, 1.

⊙. 7, 8. In pascuis et arvis argillosis vel glareosis frequens. — Caulis erectus, demum patulus, prolifer; folia semiamplexicaulia, subadpressa; florum capitula globosa, terminalia, demum, ramis horizontaliter prolongatis, axillaria, sordide lutescentia. Duae forsan sub hoc titulo latent species.

997. G. pyramidatum. *Willd.* W. 116.

Filago pyramidata. *Pers.* P. 1841, 3.

⊙. 7, 8. In sylvaticis, agris et arvis, præcipue sabulosis passim: *Darup! Sythen*! *Wiedenbrück! Münster*! — Præcedenti, quocum sæpe confunditur, simile, non ægre vero distinguendum: statura minore, foliis latioribus, patentiusculis, nec erectis, apice dilatatis; caule sæpe a basi ramoso, subinde vero simplici, subflexuoso; floribus pentagono-pyramidatis, ut in priore glomeratis.

998. G. arvense. *Willd.* W. 119.

Filago arvensis. L. P. 1841, 6.

*β. G. simplex. Nobis.*

☉. 7, 8. In agris, arvis et pascuis passim rarius: satis frequens prope *Wesel! Rees et Emmerich*! *β* prope *Dissen* lectum nobiscum communicavit am. *Rassmann*, pharmacopola. — Caulis erectus, superne ramosissimus, cum foliis oblongo lanceolatis undique lanuginosus; flores congesti, alares terminalesque tomentosi. — Dubia mente huic ceu varietatem subscripsimus G. simplex *Nobis*, a priore diversum: caule æquali, ad apicem usque simplicissimo; foliis omnibus uniformibus, linearibus, patentibus, basi parum attenuatis, nec, ut in illo, superioribus rameisque minoribus strictis, caulinis majoribus basi dilatatis; florum glomerulis breviter pedunculatis axillaribus, folio suo duplo triplove brevioribus, lana densa candida obtectis. Hæc planta, cujus unicum tantum nobis superest specimen, ulterius investiganda videtur, atque forsan novam speciem constituit.

999. G. montanum. *Willd.* W. 117.

Filago montana. L. P. 1841, 4.

☉. 7, 9. In arvis, pascuis siccis passim non rarum. — Caulis erectus, basi aut simplex aut ramosus, superne regulariter dichotomus; folia lineari-lanceolata, adpressa, tomentosa; flores conici, glomerati, alares terminalesque, lanati.

1000. G. minimum. *Smith.* W. 118.

Filago minima. *Pers.* P. 1841, 5.

*α. erectum*, *Nobis*, caule erecto basi simplicissimo, superne parum ramoso, ramis erectis.

*β. intermedium*, *Nobis*, caule erecto, a basi inde ramis numerosis, adscendentibus instructo.

*γ. cæspitosum*, *Nobis*, caule mox deliquescente ramosissimo ramisque terrae adpressis, densum cæspitem mentientibus.

⊙. 6, 8. In pascuis, arvis, ericetis siccis, solo præsertim sabuloso vulgare; *β* locis fertilioribus; *γ* in viis tritis, vix alibi. — Planta cum præcedente, cui revera valde affinis, apud nos confusa, a qua, monente cl. *Smithio*, differt: magnitudine, inprimis foliorum et florum, duplo minori; floribus saepe solitariis, quod nunquam in illa; tota denique herba, praecipue involucrorum squamis, longe minus lanatis. Praeterea rami plerumque alterni, nec, ut in priore, dichotome positi.

363. CONYZA. L. P. 1847. W. 1480.

1001. C. squarrosa. L. P. 1. W. 1.

♂. 7—9. In dumetis, ad sepes, haud frequens: *Münster an der Galgheide*, H.; *Rheine am Waldhügel*, M.; *Bielefeld am Fussbache*, A.; *Lengerich am Schallbrucher Berge*, B.; *Dissen! Ravensberg!* — Undique pubescens, bi-vel tripedalis, caule erecto, apice corymboso; folia ovato-lanceolata; flores ovati, flavescentes, involucri foliolis exterioribus apice recurvato-patentibus.

364. ERIGERON. L. P. 1852. W. 1482.

1002. E. canadense. L. P. 6. W. 6.

⊙. 7—9. In cultis, ruderatis, ad vias, præsertim solo sabuloso, ubique fere; planta e *Canada* advecta, nunc ubique divulgata. — Caulis erectus, virgatus, paniculato-ramosus, pilosus; folia lanceolata, superiora angustiora; flores paniculati, parvi, luteoli.

1003. E. acre. L. P. 29. W. 22.

♂. 7—9. In sylvaticis, præcipue calcareis, vulgare. — Caulis erectus, parce foliosus, piloso-scaber; folia radicalia plura, obovata, serrata, caulina oblongo lanceolata, integerrima; pedunculi sæpius uniflori; flosculi radii cœrulei; papus rufus, subinde pallescens.

365. TUSSILAGO. L. P. 1863. W. 1483.

1004. T. Farfara. L. P. 7. W. 12.

♃. 3—4. In sylvaticis, pascuis et agris, ubi calx subest, ubique. — Scapi aphylli, squamati, uniflori; flos aureus, inapertus nutans, demum erectus, magnus; folia post florem orientia, radicalia, cordato-angulata, subtus præcipue albo-lanuginosa, adulta supra denudata.

1005. T. Petasites. L. P. 14. W. 19.

β. *T. hybrida.* L.

♃. 3—5. In pratis humidis, ad ripas, passim nimis vulgaris, præsertim var. β. — Scapus thyrsiferus, squamatus; flores purpurascentes, numerosi; folia maxima, cordata, subtus lanata. In varietate β thyrsus longior, flosculi pallidiores, maxima ex parte feminei.

366. SENECIO. L. P. 1853. W. 1484.

1006. S. vulgaris. L. P. 20. W. 20.

☉. 3—11. In ruderatis, cultis et agris ubique. Flores radio destituti, lutei, involucri foliolis apice sphacelatis; folia sinuato-pinnatifida. In calcareis siccis prope *Darup* occurrit non raro caule gracili, foliisque strictis undique albido-tomentosis.

1007. S. viscosus. L. P. 38. W. 38.

☉. 7, 8. In pascuis, viis et aggeribus arenosis vulgaris. — Herba piloso-viscida, fœtens, sæpius coinquinata; caules subpedales; involucri foliola vel subæqualia, vel exteriora breviora; flosculi disci radiantes, demum revoluti.

1008. S. sylvaticus. L. P. 39. W. 39.

☉. 6—8. In sylvis cæduis, aggeribus, dumetis, solo arenoso, frequens. — Præcedente triplo major, gracilior, pallide virens; flores duplo minores, involucris exterioribus brevibus, adpressis, corollulis radii parvis revolutis; herba ingrati odoris, at vix viscida.

1009. S. tenuifolius. *Smith.* P. 78. W. 75.

♃. 7—10. In sylvis, dumetis et ambarvalibus, solo calcareo, satis frequens. — Caulis strictus, lanatus; folia inferiora profunde incisa, superiora pinnatifida, laciniis margine revolutis, subtus plerumque tomentoso-incana; flores corymbosi, aurei, radiantes; involucri foliola viridia, apice non sphacelata.

1010. S. erucaefolius. L. P. 62. W. 60. (?)

♃. 7, 8. In sylvaticis, pascuis, aggeribus hinc inde: *Münster*, H. et K.; *Darup! Coesfeld!* — In describenda hac planta autores nequaquam consentiunt, atque duæ stirpes omnino diversæ sub hoc titulo colligi videntur. Nostra medium tenet inter præcedentem et sequentem, ab illa diversa foliis patentibus, subrecurvis, laciniis divaricatis, supra nervosis subhirsutis, floribus majoribus, pallidioribus, atque involucri foliolis apice purpureo-maculatis; a sequente vero caule subtomentoso, foliis subtus incano-tomentosis, eorumque laciniis acuminatis, floribus pallide luteis, nec aureis, involucri foliolis exterioribus adpressis, nec laxis, interioribus apice maculatis, non

sphacelatis. Altera, quæ sub hoc nomine in herbariis exstat, caule glabro, viridi, carnoso, infirmo, aliisque notis a nostrate, quæ revera sequenti valde affinis videtur, abunde differt, intra fines nostros nondum nobis obvia, extra eos in *Ducatu Westphaliæ* rarius in pratis humidis occurrit.

1011. S. Jacobæa. L. P. 79. W. 76.

♃. 7, 8. In pascuis, ruderatis, ad vias vulgaris. — Folia lyrato-bipinnatifida, plerumque glabra, laciniis subcuneatis, divaricatis; achænia pilosa.

1012. S. aquaticus. *Smith.* P. 79*. W. 77.

♃. 7—9. In pascuis et sylvaticis humidis, nec non in umbrosis montosis argillosis prope *Darup! Coesfeld! Münster!* alibique frequens. — Distinctus a præcedente, cui a nonnullis iterum ceu varietas subscribitur: floribus majoribus, paucioribus, involucro brevi subhemisphærico, nec cylindrico, seminibus glabris, nec pilosis, foliis læte, nec atro, virentibus, glabriusculis, inferioribus obovatis, indivisis, superioribus basi tantum lyrato-pinnatifidis, apice integris. Sæpe cum præcedente in eodem loco enatum vidimus, notis allatis semper facile distinguendum, nunquam vero in illum transientem.

1013. S. paludosus. L. P. 99. W. 91.

♃. 6—8. In aquosis uliginosis, præcipue turfosis, ast raro: *Dülmen bei der Entenkoi,* N.!; versus *Amelsbüren bei Kaltenbäumer,* H. et K. — Caulis saepe sexpedalis et ultra, strictus, simplex; folia lanceolato-ensiformia, acute serrata, subtus pubescentia; corymbus terminalis, floribus magnis, aureis, involucro glabriusculo.

1014. S. nemorensis. L. P. 102. W. 93.

♃. 7, 8. In sylvaticis montosis: *am Baumberge*, K. — Planta nobiscum ex loco l. nondum communicata, saepe cum sequentibus confusa, differt ab illis foliis lanceolatis utrinque attenuatis, erectiusculis, pedicellis, involucrisque pubescentibus, colore partium pallide virente atque corymbo minus dilatato.

1015. S. ovatus. *Willd.* P. 104 *. W. 94.

♃. 7, 8. In nemorosis, dumetis, ad ripas: unicum tantum specimen legimus prope *Lippborg!*; abundat vero extra fines in *Ducatu Westphaliæ!* — Caulis patulus, ramosus; folia elliptica, utrinque valde attenuata, acuminata, glabriuscula, denticulis rectis; bracteae setaceae, pedicelli, involucraque graciliora omnino glabri.

1016. S. sarracenicus. L. P. 104. W. 95.

♃. 7, 8. In sylvaticis humidis, ad margines fossarum: *Hiddingsel* versus colonum *Beerenbrœk*, N.!; ad ripas *Rheni* passim! copiose ad viam publicam inter *Wesel et Diersfort!* — Folia quam in praecedentibus longiora, lineari-lanceolata, glabriuscula, denticulis antrorsum directis; bracteae, pedicelli, involucraque pubescentes. Ceterum planta duabus praecedentibus admodum similis, non aegre vero omnes notis allatis rite certeque distingui possunt.

### 367. ASTER. L. P. 1855. W. 1485.

1017. A. Tripolium. L. P. 78. W. 65.

♃. 8—10. In palustribus et uliginosis salsis: prope *Gravenhorst*, M.; copiose prope *Dissen!* — Herba carnosa, subglauca; folia lineari-lanceolata; flores speciosi, disco luteo, radio dilute cœruleo.

### 368. SOLIDAGO. L. P. 1856. W. 1486.

1018. S. Virgaurea. L. P. 41. W. 35.

♃. 7—9. In sylvaticis nemorosis, dumetis, solo arenoso et glareoso, frequens. — Caulis erectus, saepe flexuosus; folia elliptico-aut ovato-lanceolata, versus apicem sensim minora; panicula terminalis, ramulis racemosis; flores aurei. Planta ceterum valde variabilis magnitudine, praecipue vero foliis nunc serratis, nunc crenato-serratis, nunc fere integerrimis.

### 369. CINERARIA. L. P. 1854. W. 1488.

1019. C. palustris. L. P. 37. W. 33.

*β. tenuifolia*, *Nobis*, foliis caulinis lineari-lanceolatis, acute dentatis, erectiusculis.

*γ. edentula*, *Nobis*, foliis caulinis linearibus, integerrimis, caule gracili, subunifloro.

♃. 6, 7. In paludosis, praecipue turfosis, haud ita rara. — Planta praeter colorem pallide seu ex luteo virentem atque florum indolem valde polymorpha. Folia in nostrate rarissime lato-lanceolata, siculi in diagnosi praecipitur, licet prope *Borup unfern der Karthause* specimina quinquepedalia occurrant.

### 370. INULA. L. P. 1857. W. 1489.

1020. I. Helenium. L. P. I. W. I.

♃. 7, 8. In pascuis humidis, ad ripas, fossas, minus frequens: prope *Havixbeck*, K.; *Nottelu* in pago *Stockum* prope col. *Deiterman*, N.!; *Ascheberg!* — Congenerum maxima, nonnunquam orgyalis; folia magna, ovata, subtus tomentoso-alba, caulina amplexicaulia; flores solitarii, magni, aurei.

1021. I. britannica. L. P. 5. W. 4.

β. *angustifolia*, *Nobis*, foliis lineari-lanceolatis, basi integerrimis, subtus subsericeis.

♃. 7, 8. Planta (e *Britannia* exul), frequens ad ripas fl. *Rheni et Lippe!*; β locis siccioribus sabulosis ibidem. — Caulis erectus, villosus, apice corymbosus; folia caulina lanceolata, plerumque ad basin, interdum ad apicem fere usque dentata; flores pauci, terminales, laterales intermedium superantes, magni, aurei; saepe unicus tantum adest. Var. β habitu graciliore, foliis lineari-lanceolatis, basi subattenuatis, integerrimis, floribus paulo minoribus distincta, formis intermediis cum priore connexa, specie disjungi nequit.

1022. I. dysenterica. L. P. 6. W. 5.

♃. 7, 8. Locis humidis, ad ripas, fossas, vulgaris. — Caulis superne ramosus; folia amplexicaulia, patentia, cordato-oblonga, subtus tomentoso-albida; flores numerosi, aurei.

1023. I. Pulicaria. L. P. 11. W. 8.

☉. 8, 9. In pascuis hyeme inundatis, solo arenoso et lutoso, ubique. — Habitus fere praecedentis, at foliis floribusque triste luteolis multo minoribus instructa; flosculorum radii limbus brevissimus.

1024. I. salicina. L. P. 16. W. 14.

♃. 7—10. In pratis et pascuis humidis: prope *Belen*, W.; *Bielefeld* in monte *Altenberg*, A.; *Rheine am Hemeltbache*, M. — Caulis glaberrimus, superne angulatus; folia lanceolata, recurva, utrinque glabra, margine tantum scabra; flores subterni, inferiores altiores. Quam amici sub hoc nomine nobis ad ripas fl. *Lippe* indicavere, est varietas β I. britannicae, omnium partium villositate diversissima.

1025. **I. germanica.** L. P. 26. W. 24.

♃. 7, 8. In sylvaticis montosis: prope pagum *Laar*, B.; dubia civis, nobis non visa. — Habitus præcedentis, differt autem: foliis subtus pubescentibus, floribus minoribus luteis, cylindraceis, corymboso-confertis.

## 371. ARNICA. L. P. 1861. W. 1491.

1026. **A. montana.** L. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. In ericetis sterilibus, præcipue montosis: prope *Dornberg et Werther*, A.; *Granatsberg et* prope *Asbeck*, N.!; *Rheine* in pago *Hohenhorst*, M.; *Velen! Gescher!* etc. — Folia radicalia plura, stellatim terræ adpressa, caulina bina opposita; flores solitarii, magni, aurei.

## 372. BELLIS. L. P. 1878. W. 1497.

1027. **B. perennis.** L. P. 1. W. 1.

♃. 3—11. In pratis et pascuis ubique. — Flos pulchellus, disco conico aureo, radio albo, subtus sæpius rubicundo. Planta mire varians in hortis, non solum floris colore, sed etiam flosculis omnibus tubulosis aut omnibus lingulatis.

## 373. CHRYSANTHEMUM. L. P. 1879. W. 1510.

1028. **C. Leucanthemum.** L. P. 3. W. 5.

*α. denudatum*, *Nobis*, caule foliisque glabris.

*β. hispidum*, *Nobis*, caule foliisque undique hispidis.

♃. 5—9. In arvis, pascuis et sylvaticis vulgare; varietatem *β* nonnisi locis elatioribus observavimus, atque in montosis *Duc. Westphaliæ* priorem vix inve-

nies. — Corollulæ disci flavæ, radii niveæ, elongatæ, patentes; præter hirsutiem partium varietates α et β nullo discrimine inter se differunt constante.

1029. C. segetum. L. P. 53. W. 19.

☉. 6—9. In cultis et agris, passim vitium summum ac frequens; (in calcareis nunquam obvium, calce, marga gypsoque certissime exterminandum.) — Planta non indigena, sed aliis e regionibus advecta videtur, variis locorum nominibus, unde profecta est, rusticis nota. — Herba glauca, lævis; flores speciosi, aurei, flosculis radii concoloribus, brevioribus, obcordatis.

374. PYRETHRUM. *Gærtner.* W. 1511.

1030. P. Parthenium. *Smith.* W. 13.

Chrysanthemum Parthenium. *Pers.* P. 1879, 32.

♃. 7—9. In ruderatis, ad sepes, non rarum. — Caules erecti, 2—3pedales, ramosi; folia pinnata, superiora pinnatifida, laciniis dilatatis; corollulæ disci luteæ, radii albæ, breves.

1031. P. inodorum. *Smith.* W. 17.

Chrysanthemum inodorum. L. P. 1879, 34.

☉. 7—9. In agris, arvis, imprimis glareosis frequens. — Differt a sequente, quacum saepe confunditur, defectu odoris aromatici, ramis simplicibus, foliorum segmentis carinatis, floribus majoribus, involucri foliolis margine scariosis, achaeniis subtrigonis, atque receptaculo farcto.

375. MATRICARIA. L. P. 1880. W. 1512.

1032. M. Chamomilla. L. P. 2. W. 2.

☉. 6—8. In agris, arvis, ad vias, praecipue

inter segetes hyemales frequens. — Receptaculum nudum, conicum, cavum; achaenia oblonga, costata; pappus nullus.

376. ANTHEMIS. L. P. 1886. W. 1517.

1033. A. nobilis. L. P. 15. W. 15.

♃. 8, 9. In pascuis apricis glareosis: *Wesel auf der Büdricher Insel!* semel unicum specimen legimus. — Caules prostrato-adscendentes; folia bipinnata, foliolis filiformibus; florum discus luteus, subconicus, radius albus, patens; herba grate aromatica.

1034. A. arvensis. L. P. 16. W. 16.

⊙. et ♂. 6—8. In agris, arvis, ad vias passim, haud rara. — Herba fere inodora; caulis erectus; folia bipinnatifida, plana; florum discus luteus, convexus, radius albus, demum deflexus; paleae flosculis longiores.

1035. A. Cotula. L. P. 18. W. 18.

⊙. 6—8. In agris et arvis, praecipue argillosis, copiose. — Herba ingrati odoris; caulis plerumque adscendens, glaber; folia bipinnatifida, plana, vix pilosa; florum discus aureus, radius albus, nocte deflexus; semina mutica; paleae setaceae, flosculis breviores.

1036. A. tinctoria. L. P. 30. W. 38.

♃. 7—9. In pascuis apricis glareosis: ad ripas *Rheni*, prope *Wesel! Rees! Emmerich!* haud rara. — Caulis erectus; folia bipinnatifida, serrato-incisa, plana, subtus tomentosa; flores omnino aurei.

377. ACHILLEA. L. P. 1887. W. 1519.

1037. A. Ptarmica. L. P. 5. W. 3.

*β. longifolia*, *Nobis*, foliis exacte linearibus 4uncialibus, apicem versus minime attenuatis, remotius crenato-serratis.

*γ. parvifolia*, *Nobis*, foliis lanceolatis, recurvis, vix uncialibus, argute serratis.

♃. 7—9. In sylvaticis, pascuis humidis, ad fossas frequens; *β* in agris argillosis; *γ* in sylvis siccioribus turfoso-arenosis. — Caulis erectus glaber, sicuti folia simplicia, lineari-lanceolata; flores quam in sequentibus majores, albi.

1038. A. Millefolium. L. P. 38. W. 36.

♃. 6—8. In sylvaticis, pratis, pascuis et arvis vulgaris. — *(Schafgarbe)*. Planta pro soli indole valde varians magnitudine, pilositate atque foliorum caulinorum partitione. Flores plerumque albi aut incarnati, interdum purpurei.

1039. A. nobilis. L. P. 45. W. 42.

♃. 7, 8. In pascuis apricis glareosis: ad ripas *Rheni* fluvii passim! non frequens. — A praecedente facile distinguitur: foliorum rhachi alata, dentata, laciniis divaricatis, planis, obtusiusculis, floribusque pallide sulphureis, radio demum reflexo.

## POLYGAMIA FRUSTRANEA.

### 378. CENTAUREA. L. P. 1929. W. 1548.

1040. C. phrygia. L. P. 11. W. 15.

♃. 7, 8. In montosis calcareis: prope *Darup! Coesfeld! Billerbeck!* haud infrequens. — Folia omnia indivisa, scabra, mucronato-serrulata; involucri squamae appendiculo plumoso, fusco, recurvato, ma-

defactae autem erecto, auctae; flores aequales radio neutro destituti, purpurei.

1041. C. nigra. L. P. 27. W. 27.

♃. 7, 8. In pascuis subhumidis argillosis rarissima: *Darup am Höveler Felde! Wesel* ad ripas *Rheni!* — Differt a priore foliis radicalibus sinuato-pinnatifidis, involucri squamarum appendiculis erecto plumosis nigris. Flores etiam in hac absque radio neutro, omnes hermaphroditi.

1042. C. nigrescens. *Willd.* P. 29. W. 28.

*β. C. pratensis. Thuill.* P. 28.

♃. 7, 8. In pratis, pascuis, praesertim calcareis et glareosis, ad vias; *β* ad ripas *Rheni.* — Distincta a praecedente, cui valde affinis: squamis involucri inferioribus scariosis, superioribus ciliato-plumosis; foliis caulinis inferioribus basi subdentatis; flosculis radii neutri sæpe nullis, aut brevibus, in *β* magnis patentibus, qua nota sola haec, quam ceu varietatem illi subscribendam putavimus, a C. nigrescente distinguitur. In pascuis sterilioribus occurrit caule prostrato, unifloro, vix digitali.

1043. C. Jacea. L. P. 68. W. 63.

*β. C. amara.* L. P. 70. W. 64. (?)

♃. 7—9. In pratis, pascuis: ad ripas *Rheni et Lippe!* rarissima; (e Britannia exul). — Habitus fere praecedentium, quibus etiam florum colore purpureo similis, differt vero: involucri squamis scariosis, apice laceris, nec ciliatis; achaeniis pappi loco ciliis brevissimis, per lentem conspicuis, coronatis. Var. *β*, in pascuis sterilibus occurrens, caule abbreviato, prostrato, foliis omnibus integris, flore solitario distinguitur.

1044. C. Cyanus. L. P. 37. W. 35.

☉. 6—8. Inter segetes ubique. — *(Kornblume).* Variat floribus albis, roseis et lilacinis.

1045. C. Scabiosa. L. P. 52. W. 47.

♃. 7—9. In arvis, agris, versuris vulgaris. — Squamae involucri arcte adpressæ, ciliatae, plerumque glabrae, interdum incano-tomentosae; flores purpurei, flosculis radii elongatis; folia pinnatifida.

1046. C. Calcitrapa. L. P. 99. W. 93.

☉. 7, 8. In pascuis glareosis: ad ripas *Rheni* inter *Emmerich et Elten* haud infrequentem nobis indicavit cl. *Præs. a Schlechtendal.!* — Caulis ramosissimus, pilosus, humilis; folia varie pinnatifida, spinosa; flores laterales rosei; involucri squamae spina divaricata flavescente terminatae.

## CLASSIS XX.

# G Y N A N D R I A.

## M O N A N D R I A.

---

### 379. ORCHIS. L. P. 1975. W. 1587.

**1047. O. pyramidalis.** L. P. 22. W. 19.

♃. 7. In pratis et pascuis calcareis: *Nienberge!* H. et K.!; inter *Leden et Lengerich*, B. — Folia immaculata, acuta; spica densa pyramidalis, demum elongata; flores punicei; cornu germine longius, filiforme, acutum.

**1048. O. Morio.** L. P. 26. W. 24.

♃. 5, 6. In pratis et pascuis humidiusculis satis vulgaris. — Immaculata; spica laxa pauciflora; flores purpurei, rosei, vel albidi, petalis semper viridi-lineatis; cornu clavatum, sursum curvatum, germen subaequans, aut paulo brevius.

**1049. O. mascula.** L. P. 29. W. 25.

♃. 4—6. In pascuis et sylvaticis umbrosis fere ubique. — Folia late lanceolata, apice obtusa, saepe maculata; spica laxiuscula, multiflora; flores purpurei; cornu obtusum, germen aequans.

**1050. O. ustulata.** L. P. 31. W. 28.

♃. 6. In pascuis siccis calcareis inter *Nienberge et Altenberge* occurrere dicitur, dubia civis, nobis non visa. — Immaculata; spica brevis, densa; flores exigui, fusco-purpurei; cornu germine duplo brevius.

**1051. O. militaris.** L. P. 34. W. 33.

♃. 5, 6. In pascuis et sylvaticis calcareis: *Nienberge*, H. et K.! *Freckenhorst*, Nic.; *Bielefeld* ad radicem montis *Altenberg*, A.; *Lengerich* ad montem *Galgenberg*, B. — Immaculata; spica laxiuscula, multiflora; flores purpurascentes vel carnei, petalis pallidis, impunctatis; cornu germine duplo brevius.

1052. **O. fusca.** *Jacquin.* P. 35. W. 34.

♃. 5, 6. Cum priore prope *Nienberge*, H. et K.; parum ultra fines *im Lippischen* quoque óccurrit. — Praecedenti, cui a cl. *Smithio* ceu varietas subscribitur, similis, differt vero ab illa: petalis obtusioribus, latioribus, viridi-fuscis, punctatis, nectarii labio lobis dilatatis et crenulatis.

1053. **O. sambucina.** *Jacquin.* P. 53. W. 50.

♃. 5, 6. In pratis, pascuis montosis rarior: *Lengerich*, B.; prope villam *Hülshof* legit L. B. *à Droste*. — Immaculata; spica densa, multiflora, bracteis albidis; flores flavescentes; cornu germen aequans.

1054. **O. latifolia.** L. P. 51. W. 46.

♃. 5, 6. In pratis, pascuis et sylvaticis vulgaris. — Maculata; spica densa, bracteis flores duplo superantibus; folia late lanceolata, semper maculata; flores purpurei, aut pallidi; cornu conicum, germine parum brevius.

1055. **O. angustifolia.** *Krocker.*

O. latifolia β angustifolia. *Pers.* P. 51 β.

♃. 6, 7. In pascuis et pratis humidis passim non rara. — Semper immaculata; folia lineari-lanceolata, vaginis caulem tegentibus; flores purpurei, albidi et carnei; ceterum praecedenti similis, a qua tamen notis allatis sat constantibus, nec non florendi tempore seriori specie distinctam habemus.

1056. **O. maculata.** L. P. 54. W. 51.

♃. 6—8. In pratis et sylvaticis ubique copiose. — Maculata; spica densa; flores albidi maculis purpureis; cornu subulatum, germine brevius.

### 380. GYMNADENIA. *R. Brown.*

1057. **G. conopsea.** *R. Brown.*

Orchis conopsea. L. P. 1975, 55. W. 1587, 53.

♃. 6, 7. In pratis humidis hinc inde copiose. — Immaculata; spica densiuscula, multiflora; flores parvi, purpurei, suave olentes; cornu filiforme, dependens, germine duplo fere longius.

1058. **G. odoratissima.** *R. Brown.*

Orchis odoratissima. L. P. 1975, 57. W. 1587, 52.

♃. 6, 7. In pascuis montosis: *Lengerich*, in jugo montis *Galgenberg*, B.; nec non prope *Altenberge* lecta dicitur. — Praecedenti similis, distinguitur autem haud aegre cornu brevi recurvo. Flores odorem fortem nec inamœnum spargunt.

### 381. OPHRYS. L. P. 1983. W. 1595.

1059. **O. myodes.** *Jacquin.* P. 1. W. 7.

♃. 6, 7. In sylvaticis calcareis haud frequens: *Baumberg*, N.; *Billerbeck auf dem Struckfer*!; *Münster* prope praedium *Willinghegge*, W.; *Neuenberge*, H. et K.; *Freckenhorst*, Nic.; *Bielefeld* in montibus *Altenberg et Sparenberg*, A. — Spica laxa, subsexflora; flores sessiles, muscam simulantes, labio atrosanguineo, macula cœrulescente.

1060. **O. apifera.** *Smith.* P. 3. W. 10.

♃. 7. In sylvaticis montosis calcareis: *Frecken-*

*horst auf der Leyen, Nic.*; extra fines haec planta speciosa observata est im *Lippischen.* — Præcedente robustior, bracteis maximis, floribus apiformibus, labio purpureo-ferrugineo, flavo-areolato, punctato et marginato.

### 382. HERMINIUM. *R. Brown.* *(L. fl. Lapp.)*

**1061. H. Monorchis.** *R. Brown.*

Ophrys Monorchis. L. W. 1595, 1. Satyrium Mon. *Pers.* P. 1977, 15.

♃. 6, 7. In pascuis et ambarvalibus calcareis: *Neuenberge*, W.; *Stromberg!* ast rarius. — Palmaris; spica densa multiflora; flores exigui, luteo-virides, odore grato; bulbus alter, minor, remotus, pedunculatus.

### 383. HABENARIA. *R. Brown.*

**1062. H. bifolia.** *R. Brown.*

Orchis bifolia. L. P. 1975, 10. W. 1587, 6.

♃. 6, 7. In umbrosis humidiusculis solo lutoso et argillaceo frequens. — Immaculata, læte virens; flores albi, fragrantes; cornu longissimum. Planta magnitudine maxime varians.

**1063. H. viridis.** *R. Brown.*

Orchis viridis. *Swartz.* W. 1587, 55. Satyrium vir. L. P. 1977, 2.

♃. 6, 7. In pascuis, versuris rarior: *Beckum! Oelde!* — Immaculata; vix spithamea; bracteae foliaceae, flores superantes; flores virides, petalis conniventibus, apice fusco-purpurascentibus; nectarii sacculus brevissimus, labium trifidum, fusco-virens.

### 384. GOODYERA. *R. Brown.*

1064. **G. repens.** *R. Brown.*

Neottia repens. *Swartz.* P. 1984, 13. W. 1597, 11.

♃. 7. In sylvaticis muscosis prope *Warendorf* repertam asseruerunt amici; specimen in montibus *Teutoburgicis* prope *Bielefeld* lectum nobiscum communicavit amiciss. D. *Weihe.* — Radix repens; caulis spithameus, pubescens; spica multiflora, acuta; flores secundi, carnei, fragrantes, rhachi spiraliter torta.

### 385. NEOTTIA. *Swartz.* P. 1984. W. 1597.

1065. **N. spiralis.** *Swartz.* P. 4. W. 6.

♃. 8, 9. In pascuis, pratis, haud ita frequens: *Dülmen im Neusträsser Bruche*, nec non ibidem *im Spelderbockfelde*, N.!; *Münster auf Mauritzheide*, H.; *Bielefeld in monte Johannisberg*, A. — Præcedenti similis, differt vero bulbis radicalibus oblongis, caule superne viscidulo, floribus crystallino-micantibus, nectarii labio oblongo, petalis æquali, crenato, medio virente.

### 386. LISTERA. *R. Brown.*

1066. **L. ovata.** *R. Brown.*

Epipactis ovata. *Swartz.* P. 1991, 2. W. 1602, 10.

♃ 6, 7. In nemorosis, dumetis, praecipue solo argillaceo vulgaris. — Tota cum floribus virens; folia sæpius bina, opposita, lato-ovata; nectarii labium dependens, lineare, petalis duplo longius, apice bilobum. Planta varians a 1/2pedali ad 2pedalem altitudinem.

387. NEOTTIDIUM. *R. Brown.*

1067. N. Nidus avis. *R. Brown.*

Epipactis Nidus avis. *Swartz.* P. 1991, 1. W. 1602, 9.

♃. 5—7. In nemorosis, faginetis opacis, passim haud infrequens. — Tota fusca, denso in nemore latens, ideoque facile prætervisa, saepe ultrapedalis; radix e multis fibris crassis, patentibus composita, unde nomen desumtum; nectarium antice elongatum, bilobum, lobis divaricatis, basi unidentatis; stamina operculo mobili calyptrata.

388. EPIPACTIS. *Swartz.* W. 1602.

1068. E. latifolia. *Swartz.* W. 1.

Serapias latifolia. L. P. 1990, 1.

♃. 7, 8. In sylvaticis umbrosis: *Bielefeld* versus *Uehrendorf*, A.; *Dülmen in Hinderkinks Busch*, N.!; *Darup! Coesfeld!* alibique non infrequens. — Folia late elliptica, acuta, amplexicaulia; flores viridi-vel fusco-purpurascentes; labium deflexum, petalis brevius, acuminatum.

1069. E. palustris. *Swartz.* W. 2.

Serapias palustris. *Scopoli.* P. 1990, 3.

♃. 7, 8. In pratis et pascuis uliginosis, praecipue calcareis et argillosis ubertim. — Folia ovato-lanceolata, amplexicaulia; flores speciosi, petalis exterioribus virentibus, interioribus albis, omnibus subpurpuratis; labium petalis aequale, obtusum, crenatum, album, purpureo-lineatum.

1070. E. microphylla. *Swartz.* W. 3.

Serapias microphylla. *Ehrhart.* P. 1990, 2.

♃. 7, 8. In faginetis umbrosis rarior: prope *Tecklenburg; Bielefeld* in monte *Altenberg*, A. —

Folia vix pollicaria, ovato-lanceolata; flores virentes; labium ovatum, acutum, crenulatum, petalis subaequale.

1071. E. pallens. *Willdenow.* W. 4.

Serapias grandiflora. L. P. 1990, 4.

♃. 6, 7. In sylvaticis umbrosis, praecipue calcareis frequens. — Folia elliptico-lanceolata; flores erecti, speciosi, albi; labium cordatum, petalis parum brevius, superne lineis 3 flavis notatum.

1072. E. ensifolia. *Swartz.* W. 5.

Serapias ensifolia. *Pers.* P. 1990, 5.

♃. 6, 7. In sylvaticis umbrosis rarissima: *Neuenberge,* W.; *Neuhaus!* — Folia superiora fere disticha, lineari-lanceolata, elongata; flores albi, speciosi; labium petalis duplo brevius, obtusiusculum, antice macula flava notatum.

1073. E. rubra. *Swartz.* W. 6.

Serapias rubra. L. P. 1990, 6.

♃. 6. In sylvaticis nemorosis: *Coesfeld* versus praedium *Lohburg*! rarissime; hanc, extra fines *im Lippischen* degentem, in montibus quoque *Teutoburgicis* habitare suspicamur. — Folia lanceolata; flores erecti, purpurei; labium petala aequans, basi auriculatum, albidum, apice acutum, purpureum, antice lineis flavescentibus notatum.

389. MALAXIS. *Swartz.* P. 1992. W. 1603.

1074. M. paludosa. *Swartz.* P. 6. W. 7.

♃. 6, 7. In paludosis turfosis: *im Seppenrader Venne,* N.!; *im Steveder Venne! Telgte in den Teichen,* H.; atque procul dubio alibi non ita rara. — Caulis gracilis, pentagonus; racemus multiflorus, densiusculus; flores exigui, luteo-virides.

1075. **M. Lœselii.** *Swartz.* P. 7. W. 9.

♃. 6. In palustribus turfosis: *im Seppenrader Venne*, N.! rarior. — Praecedente firmior, nec major, tota lutescens; caulis trigonus; racemus pauciflorus, floribus e viridi lutescentibus.

### 390. LIMODORUM. *Swartz.* W. 1608.

1076. **L. Epipogium.** *Willd.* W. 27.

Satyrium Epipogium. L. P. 1977, 6.

♃. 7, 8. In faginetis densis vetustis rarissimum: *Bielefeld* prope *Uehrendorf*, A.! — Planta in umbrosis obscure latens, facile praetervisa. Caulis erectus, debilis, succulentus, viscidulus, subdiaphanus, sordide flavescens; folia nulla, eorumque loco squamae fuscae, vaginantes; racemus pauciflorus, laxus; flores secundi, sordide sulphurei, bracteis majusculis, ovato-lanceolatis suffulti, penduli, resupinati; labellum trilobum concavum; cornu adscendens, ovatum; antherae basi caudatae, sessiles.

## D I A N D R I A.

### 391. CYPRIPEDIUM. L. P. 2008. W. 1613.

1077. **C. Calceolus.** L. P. 1. W. 1.

♃. 6. In sylvaticis nemorosis rarissime: prope *Freckenhorst auf der Leyen*, Nic.! — Hujus familiae facile pulcherrima. Caulis erectus; folia elliptica; flos terminalis, nutans, formosus; petala 4 lanceolata, petentia, fusco-purpurea; nectarii labium superius petalis 3plo brevius, pedicellatum, flavum, rubropunctatum, carnosum, inferius longitudine fere petalorum, inflatum, superne hians, flavum, venosum.

## HEXANDRIA.

### 392. ARISTOLOCHIA. L. P. 2011. W. 1619.

**1078. A. Clematitis.** L. P. 38. W. 37.

♃. 7, 8. In dumetis, ad sepes passim: *Dülmen an der lütken Heide*, N.!; *Münster vor Aegidii Thor*, H. et K.!; *Coesfeld beim Letter Thore!* alibique, ast minus frequens. — Caules plures e radice repente, flexuosi, varia altitudine; folia cordata; flores axillares, citrini, viridi lineati, basi globosi, medio constricti, apice hiantes.

## CLASSIS XXI.

# M O N O E C I A.

## M O N A N D R I A.

---

393. ZANNICHELLIA. L. P. 2016. W. 1623.

1079. **Z. palustris.** L. P. 1. W. 1.

⊙. 7. In fossis, stagnantibus: *Darup am Sudfelde! Coesfeld!* atque proculdubio pluribus locis. — Habitus Potamogetonis pusilli; planta submersa; caules tenues, flaccidi; folia angustissima, linearia; achaenia 2 ad 4, oblonga, parum curvata, exserte pedicellata, dorso dentibus acutis armata, stylo permanente vix duplo longiora, per lentem scabriuscula.

1080. **Z. repens.** *Nobis.*

⊙.? 8—10. In fossis lutosis, præcipue salsis: prope *Steinfurth! Dissen!* — Distincta, ni fallimur, a praecedente: caule firmiore, e geniculis radicante, non fluitante; achæniis subsessilibus aut incluse pedicellatis, dorso integerrimis aut vix corrugatis, nunquam denticulatis, lævissimis; stylo duplo breviore; stigmate denique repando, nec integerrimo.

394. CALLITRICHE. L. RS. 39. P. 26. W. 27.

1081. **C. verna.** L. RS. 1. P. 1. W. 1.

*α. vulgaris*, *Nobis*, foliis omnibus obovatis, apice integris, superioribus stellato-confertis.

*β. emarginata*, *Nobis*, foliis omnibus remotiusculis, conformibus, apice emarginatis, non bifidis.

*γ. intermedia*, *Schkuhr*, foliis superioribus obovatis aut oblongis, inferioribus linearibus apice bifidis.

*δ. minima*, *Hoppe*, foliis omnibus linearibus, apice integris, caule cæspitoso radicante.

☉. 4—9. Priores tres in aquis stagnantibus et fluentibus ubique; β præsertim in rivulis turfosis; γ locis exsiccatis, præcipue arenosis non rara. — Planta pro varia soli indole variis ludit formis; occurrit nempe foliis superioribus in rosulam congestis, in exsiccatis, nec non in fossis udis turfosis foliis subæqualiter distantibus, nunc obovatis, nunc lanceolatis, nunc linearibus, apice integris, emarginatis, aut bifidis. Varietates β et γ præ ceteris constantes esse videntur.

1082. C. autumnalis. L. RS. 2. P. 4. W. 3.

☉. 8—10. In fossis et stagnantibus rarior: prope *Bentheim*! *Epe! Gronau*! aliisque locis versus Hollandiæ fines. — A præcedente distincta samaris majoribus, late membranaceo-marginatis, foliis saturate virentibus, semper linearibus, apice bifidis.

## 395. CHARA. L. P. 2018. P. 1625.

1083. C. vulgaris. L. P. 1. W. 1.

☉. 6, 7. In fossis et aquis cœnosis ubique. — Caulis striatus, tortus, filiformis; folia verticillata, ramiformia, subulata; herba sæpius crusta calcarea induta, fœtida, fragilis. Variat caulibus cæspitosis, brevioribus, albidis, subflexibilibus.

1084. C. hispida. L. P. 8. W. 5.

☉. 7, 8. In fossis rarior: *Coesfeld hinter Schilds Garten!* — Præcedente validior, caule multo crassiore, sulcato, aculeis deflexis hispido.

1085. **C. flexilis.** L. P. 13. W. 9.

⊙. 7, 8. In fossis uliginosis rarior: *Telgte in den Teichen*, H.; *Gescher! Vilen! Mastholte!* — Herba virens, glabra, diaphana, flaccida; ramuli superiores abbreviati, conferti.

1086. **C. tenuissima.** *Desvaux.* (?)

⊙. ?. In stagnantibus: *Bielefeld* prope colonum *Oberwettler*, A. — Non sine dubio sub hoc titulo indicamus plantam, ab am. *Aschoff* nobiscum communicatam, fructu carentem, statura vix bipollicari, caulibus tenerrimis, ramosissimis, ramis alternis nec verticillatis a prioribus longe recedentem, forsan novam speciem sistentem.

396. TYPHA. L. P. 2027. W. 1634.

1087. **T. latifolia.** L. P. 1. W. 1.

♃. 6, 7. In stagnis, piscinis, fossis et rivulis frequens. — Spica mascula femineaque approximatæ; folia ensiformia, plana.

1088. **T. angustifolia.** L. P. 3. W. 3.

♃. 6, 7. In fossis et stagnis passim: *Bielefeld bei dem Kupferhammer*, A.; *Buldern*, N, — Præcedente duplo minor, spica mascula intervallo nudo a feminea discreta, foliis multo angustioribus, canaliculatis, inferne semicylindraceis.

1089. **T. elatior.** *Nobis.*

♃. 6, 7. In aquis stagnantibus passim: *Coesfeld! Wiedenbrück!* copiose *am Kanal zwischen den beiden Schleusen!* — Priorem e locis indicatis non vidimus, hanc vero illi subscribere non audemus, culmis sæpius 7—8pedalibus, foliis duplo ad minimum latioribus, haud canaliculatis neque inferne semicylindraceis,

diversissimam. A T. latifolia differt foliis duplo angustioribus, spicis femineis masculisque parum ab invicem remotis, totoque habitu graciliore, non vero culmo breviore, sæpe elatiore.

397. SPARGANIUM. L. P. 2028. W. 1635.

1090. S. ramosum. *Smith.* P. 1. W. 1.

♃. 6—8. In fossis, ad ripas vulgare. — Pedunculi communes ramosi; folia inferiora basi triquetra, lateribus concavis; florum capitula, ut in sequentibus, alterna, sessilia, multiflora, inferiora feminea.

1091. S. simplex. *Smith.* P. 2. W. 2.

♃. 6—8. In stagnis, fossis, piscinis non rarum. — Pedunculus communis simplex, nec ramosus; folia basi triquetra, lateribus planis.

1092. S. natans. P. P. 3. W. 3.

♃. 4—6. In rivulis et stagnis, solo lutoso sel turfoso: *Dülmen bei der Entenkoi*, N.!; *Coesfeld im Zitadellengraben!* prope *Velen! Bocholt*! alibique. — Præcedentibus tenerior, foliis decumbentibus, natantibus, pedunculo communi simplici, capitulo masculino subsolitario facile distinguendum.

398. CAREX. L. P. 2038. W. 1642. *)

*(1. Spica simplici, terminali.)*

1093. C. (V.) dioica. L. P. 1. W. 1.

---

*) Cl. *Palisot de Beauvois* Caricis genus, quod jam ultra 200 species continet, in duo genera divisit, quorum prius, *Vigneam* dictum, stigmatibus duobus, achænio uno latere convexo, altero complanato, a *Caricibus*, stigmatibus tribus, achænio trigono præditis, distinxit. Ne autem novationibus nimis indulsisse videamur, brevi

♃. 4—6. In pratis et pascuis paludosis: *Dülmen im Leuster Bruche*, N.!; *Coesfeld bei der Gaupeler Schule! Münster hinter der Schiffarth!* alibique. — Planta dioica; radix tenuis, repens; culmi semipedales, graciles, glabri, folia superantes; spica solitària terminalis, mascula linearis, feminea fructifera ovalis; fructus ovati, acuminati, erecto-patentes, glumas margine scariosas superantes, apice serrulati.

1094. C. (V.) Davalliana. *Smith.* P. 2. W. 2.

♃. 5, 6. In pascuis uliginosis rara: inter *Billerbeck et Osterwick!* — Differt a priore simili: radice fasciculata, nec repente; culmis foliisque retrorsum aculeolato-scabris, sæpe majoribus; fructibus recurvatis, lanceolatis, rostratis, hinc gibbis.

1095. C. (V.) pulicaris. L. P. 10. W. 13.

♃. 5. In pratis humidis spongiosis: *Dülmen* prope *Hinderkink*, N.!; *Darup am Sudfelde in Königs Wiese! Coesfeld hinter der Knipe!* alibique haud infrequens. — Spica terminalis androgyna, apice mascula; fructus oblongo-lanceolati, utrinque vix carinati, reflexi nec recurvati, maturi tactu elastice desilientes, unde nomen.

*(2. Spica composita spiculis androgynis.)*

1096. C. (V.) arenaria. L. P. 33. W. 34.

♃. 4, 5. In arena mobili atque in pascuis et aggeribus arenosis frequens. — Radix filiformis, longissima, repens, foliorum fasciculos culmosque adamussim protrudens, trita terebinthum redolens; culmi pedales, scaberrimi, incurvi; spica nutans, composita,

---

tantum nota — *(V.)* — monere placuit, quænam species ad genus illud novum pertineant.

spiculis superioribus confertioribus, inferioribus subremotis, bractea sua brevioribus, omnibus apice masculis; fructus ovato-lanceolati, marginati, ore profunde bifido.

1097. C. (V.) intermedia. *Goodenough.* P. 34. W. 35.

♃. 5, 6. In pratis udis, ad fossas ubique vulgaris. — Præter locum, in quo habitat, aliasque notas minus eminentes, a præcedente simili distinguitur: spiculis superioribus et inferioribus femineis, intermediis masculis, ita ut demum fructu adulto spica medio contracta evadat; glumis brevioribus fuscis; culmo erecto. Variat fructibus luxuriantibus, longissimis, striatis, recurvis, compressis. Hæc vera C. uliginosa Linnæi esse videtur.

1098. C. (V.) Schreberi. *Willd.* W. 37.

C. præcox. *Schreber.* P. 36.

♃. 4, 5. In pascuis siccis graminosis: prope *Dorsten! Wesel! Rees!* rarior. — Præcedentibus duabus similis, differt vero ab utraque habitu graciliore, statura semper minore, spiculis omnibus inferne masculis, atque fructibus immarginatis.

1099. C. (V.) ovalis. *Goodenough.* P. 46. W. 47.

♃. 4—7. In sylvaticis, pascuis humidiusculis, præcipue solo argilloso vulgaris. — Culmi plures cæspitosi, semipedales, pedales, folia subæquantes, trigoni, scabri; spiculæ distinctæ, numero plerumque 3 ad 6, ovales, inferne masculæ; fructus ovati, marginati, bidentati, ciliato-serrati, glumas fuscas subaequantes. Hanc veram esse *Linnæi* C. leporinam, autores negarunt, cl. *Wahlenberg* vero nuper iterum affirmavit.

1100. C. (V.) vulpina. L. P. 50. W. 51.

♃. 5, 6. In pratis humidis, ad ripas: *Darup! Clarholz! Münster an der Ahe!* alibique. — Culmi 1—3pedales, rigidi, acute triquetri, angulis scaberrimis; spica decomposita, spiculis apice masculis, bractea basi ovata suffultis; fructus divergentes, compresso-triquetri, glumas superantes, apice bifidi et scabri. — Variat fructibus monstrose excrescentibus.

1101. C. (V.) nemorosa. *Lumnitz.* P. 51. W. 53.

♃. 5—9. In fossis umbrosis, sylvaticis humidis, praesertim soso argilloso aut calcareo, frequens. — A praecedente simillima, quacumque apud nos saepius confusa est, differt bracteis foliaceis, setaceis, basi non ovatis, inferioribus praecipue longissimis, glumis mucronato-aristatis, fructibus compressis nec triquetris, temporeque florendi usque in autumnum.

1102. C. (V.) muricata. L. P. 57. W. 57.

♃. 4—7. In umbrosis humidiusculis, hinc inde frequens. — Culmi 1—2pedales, graciles, triquetri, superne tantum scabri; spica basi interrupta; spiculae apice masculae; fructus patentes, ovati, plano-convexi, bidentati, basi marginati, margine ciliato-serrati. — Haec etiam fructibus amplificatis atque monstrose elongatis variat.

1103. C. (V.) stellulata. *Goodenough.* P. 60. W. 60.

♃. 5, 6. In pascuis humidis, praecipue turfosis, ubique abundat. — Praecedente minor atque gracilior, culmis saepius semipedalibus caespitosis; in umbrosis vero interdum culmos fere bipedales, filiformes vidimus. Differt praeterea spiculis inter se subaequaliter remotis, inferne masculis, bracteis brevissimis, glumaeformibus suffultis, fructiferis stellatis; fructibus minoribus; glumis undique albido-marginatis, nervo medio haud excurrente.

1104. C. (V.) divulsa. *Goodenough.* P. 58. W. 58.

♃. 5, 6. In nemorosis umbrosis humidiusculis argillaceis: prope *Darup hinter dem Schulzenhofe!* nec non ibidem *Vosseberge!* abundanter. — Culmus debilis, pedalis, sesquipedalis, triqueter, angulis superne scabriusculis; spica elongata, spiculis superne approximatis, inferioribus sensim magis remotis, infima pedunculata, interdum composita, omnibus ovatis, apice masculis; fructus erecto-patuli, ovati, hinc convexi, laeves, virescentes.

1105. C. (V.) remota. L. P. 68. W. 68.

♃. 5, 6. In nemorosis humidis, ad fossas umbrosas ubique frequens. — Culmi flaccidi, plerumque laeves; spiculae parvae, sessiles, inferiores remotae, bracteis longissimis foliiformibus, sensim brevioribus, suffultae, superiores magis approximatae, omnes basi masculae; fructus glumas suas virides paulo superantes, erecto patuli, margine scabri.

1106. C. (V.) elongata. L. P. 70. W. 70.

♃. 5, 6. Ad margines fossarum, locis humidis, solo sabuloso aut turfoso passim: *Coesfeld* prope *Schulze Hillert* in pago *Stevede! Münster* versus pagum *Mecklenbeck! prope Geist! Althoff!* etc. copiose. — Culmi 1—2pedales, scabri; spica 2—4pollicaris, spiculis basi masculis, patulis, inferioribus parum remotioribus; bracteae breves, glumaeformes; glumae ovatae, fuscae, margiue albidae, fructibus sensim attenuatis ore bidentatis breviores.

1107. C. (V.) curta. *Goodenough.* P. 71. W. 71.

♃. 5, 6. In paludosis turfosis ubique vulgaris. — Discernitur a praecedente simili spica breviore, fructibus ovatis abbreviatis, arctius congestis, pallidiori-

bus, ore subintegris. Hæc secundum *Wahlenberg* est C. canescens *Linnæi.*

1108. C. (V.) teretiuscula. *Goodenough.* P. 76. W. 76.

♃. 5. In uliginosis turfosis, pratis humidis frequens. — Culmus gracilis, inferne teres, superne obtuse trigonus, lateribus convexis; spiculæ coarctato-paniculatæ, superne masculæ; fructus ovati, bidentati, margine ciliato-serrati, saturate fusci. Planta immerito a nonnullis sequenti ceu varietas subscripta.

1109. C. (V.) paniculata. L. P. 77. W. 77.

♃. 5, 6. Ad fossas, piscinarum margines hinc inde frequens. — Præcedente plerumque duplo major, cæspites densos, latos atque alte prominentes constituens; culmi 2—4pedales, acute triquetri, scaberrimi, lateribus planis; spiculæ paniculatæ, ramis ramosis subpatentibus, superne masculæ; fructus ovato-lanceolati, apice serrato-scabri.

*(3. Spica mascula terminali, reliquis distinctis.)*

*(α. Fructibus pubescentibus.)*

1110. C. digitata. L. P. 124. W. 104.

♃. 4, 5. In nemorosis montosis calcareis: *Bielefeld* in monte *Sparenberg*, A.; prope *Stromberg!* rarior; forsan pluribus locis, præcipue in montibus Teutoburgicis. — A congeneribus nostratibus facile discernenda: culmis aphyllis, squamis fusco-rubentibus vaginatis; spicis erectis linearibus, approximatis, extima mascula, femineis duabus aut tribus; glumis fusco-rutilantibus, margine scarioso albido. Fructus apice praecipue pubescentes.

1111. C. pilulifera. L. P. 99. W. 109.

♃. 4, 5. In nemorosis sylvaticis siccioribus, ubi-

que fere. — Culmi decumbentes, apice scabri; spicae femineae subternae, sessiles, approximatae, elliptico-subrotundae; fructus subrotundi, obsolete triquetri, glumis ovatis mucronulatis breviores. Cl. Gaudin hanc pro vera C. montana Linnaei habet.

1112. C. montana. *Villars.* P. 100.

C. collina. *Willd.* W. 110.

♃. 3—5. In montosis sylvaticis: *Bielefeld* in monte *Sparenberg*, A. — Spicae femineae binae, sessiles, masculae approximatae; fructus oblongi utrinque attenuati, squamam ovatam subaequantes; bracteae cordatae; folia praeteriti anni culmum superantia.

1113. C. ericetorum. *Pollich.*

C. ciliata. *Schkuhr.* P. 102. W. 112.

♃. 4, 5. In siccis sterilibus arenosis: inter *Telgte et Wahrendorf! Münster hinter der Schiffarth! Halteren! Dorsten!* alibique. — Folia recurva, plerumque glaucescentia; spica mascula clavata; glumae atrofuscae, apice rotundatae, margine scarioso-albido, dein lacero-ciliato, fructibus ovato-globosis breviores; vaginae purpureo coloratae.

1114. C. præcox. *Jacquin.* W. 113.

C. verna. *Villars.* P. 103.

♃. 3—5. In pascuis siccis, ad vias vulgaris. — Culmus obtuse triqueter, laevis, adscendens; spicae femineae saepius duae, breviter pedunculatae, ovatae; glumae late ovatae, mucronulatae, fructum triquetro-pyriformem, obtusum aequantes. Planta ceterum polymorpha, varians spiculis masculis binis, femineis longius pedunculatis, flosculis proliferis, fructibus medio constrictis nec non uredine combustis, atque magnitudine a bipollicari ad pedalem altitudinem.

1115. **C. glauca.** *Scopoli.* P. 181.

C. recurva. *Goodenough.* W. 186.

♃. 4—6. In pratis, pascuis et sylvaticis humidioribus frequens. — Herba glauca; spica mascula lineari-lanceolata, erecta, femineae duae aut tres, longius pedunculatae, demum nutantes aut pendulae, cylindraceae; fructus parum pubescentes aut scabriusculi, ore integerrimo, glumam suam ovato-cuspidatam nigricantem aequantes. Praeter magnitudinem variabilem variat spicis masculis pluribus, atque femineis omnibus apice masculis, demum exinde apice subulatsi.

1116. **C. lasiocarpa.** *Ehrhart.*

C. filiformis. L. (?) P. 190. W. 197.

♃. 4—6. In turfosis spongiosis: *Dülmen bei der Entenkoi,* N.!; *Münster auf der Koerheide! in den Warendorfer Teichen!* alibique non adeo rara. — Bipedalis et ultra; culmus strictus; bracteae foliiformes, culmum superantes; spicae masculae saepius duae, inaequales, femineae subduae, remotae, pedunculis inclusis; fructus nigricantes, ovati, helvolo-tomentosi, nervosi.

1117. **C. hirta.** L. P. 209. W. 211.

*β. glabrata, Nobis.*

♃. 5—7. In pratis, pascuis humidis, nec non in aggeribus et ambarvalibus siccioribus; *β* in pascuis sterilioribus hyeme inundatis prope *Mastholte!* — Culmus varia magnitudine, bipedalis aut tripollicaris pro soli indole, triqueter, foliosus; folia subtus pilosa, vaginis hirsutis; bracteae foliaceae, basi vaginantes; spicae masculae saepius duae, subremotae, femineae tres, remotae, incluse pedunculatae; fructus ovati, apice producto bifurco, undique hirti. Varietas *β*

differt culmo breviore, vix semipedali, foliorum vaginis vix apice parce pilosis, fructibus glabris.

*(β. Fructibus glabris.)*

1118. **C. limosa.** L. P. 179. W. 178.

♃. 5, 6. In turfosis spongiosis: *Dülmen bei der Entenkoi! Rietberg bei dem Schlosse!* — Culmi pedales; spica mascula solitaria, lanceolata; spicae femineae subduae, pedunculatae, mox pendulae, compressae, ovatae; glumae lato-ellipticae, dorso virides, margine aureo-ferrugineae, fructu caesio parum breviores.

1119. **C. pallescens.** L. P. 174. W. 174.

♃. 4—6. In nemorosis sylvaticis humidiusculis frequens. — Culmus pedalis aut parum altior; bracteae foliaceae, culmum superantes, brevissime vaginatae; spica mascula lanceolata, pallide ferruginea; spicae femineae duae aut tres, oblongo-cylindriceae, mox pendulae, pallide virentes; glumae lutescentes, fructum ellipticum inflatum aequantes.

1120. **C. Pseudo-cyperus.** L. P. 169. W. 181.

♃. 4—6. In fossis passim: *Darup am Vosseberge! Coesfeld hinter dem Brink! Münster!* alibique haud ita rara. — Planta speciosa, habitu a congeneribus recedens, facileque spicis femineis confertis, pendulis, cylindraceis, virentibus, fructibusque patentissimis, inferioribus saepe recurvis, rostratis, distinguenda.

1121. **C. strigosa.** *Goodenough.* W. 170.

C. leptostachys. *L. fil.* P. 164.

♃. 4, 5. In nemorosis humidis calcarris; unico loco prope *Darup hinter dem Kamesbruche* ad rivulum *im*

*Höveler Bruche!* haud frequens. — Habitus sequentis, differt vero ab illa foliis duplo triplove latioribus, planis, laete viridibus, nervis duobus eminentioribus notatis, spicis laxioribus, fructibus lanceolatis, nervosis, glumas superantibus.

1122. **C. Drymeja.** *L. fil.* W. 182.

C. sylvatica. *Goodenough.* P. 165.

♃. 4—6. In umbrosis humidis, praecipue argillosis et lutosis ubique. — Culmus 2—3pedalis, glaber, triqueter; bracteae foliiformes; spicae mox arcuato-pendulae, longissime pedunculatae, graciles, laxiusculae; fructus ovati, triquetri, rostrati, glumam subaequantes.

1123. **C. flava.** L. P. 126. W. 128.

♃. 4, 5. In pratis et sylvaticis humidis rarior: prope *Oelde! Langenberg! Stromberg! Beckum!* haud infrequens. — Culmus plerumque pedalis, aut ultra, acute triqueter, apice scaber; bracteae foliaceae, culmum longe superantes, divaricato-deflexae; spicae femineae saepius tres, ovato-subrotundae, patentes, infima parum remotior; fructus glumas fulvas superantes, lutescentes, undique patentes, subarcuato-deflexi, rostrati, inflati, sulcati, apice furcati.

1124. **C. Oederi.** *Roth.* P. 125.

C. flava. L. var. δ *Willd.* W. 128δ.

♃. 4, 5. In pascuis humidis ubique copiose. — A praecedente, cui saepius immerito, ni fallimur, ceu varietas subscribitur, constanter differt: culmo vix semipedali, saepius minore, semitereti, hinc quasi canaliculato, glaberrimo, fructibusque globosis, rostratis, rostro recto, haud sulcatis.

1125. **C. fulva.** *Goodenough.* P. 128. W. 130.

♃. 5—7. In pratis et pascuis humidis sterilioribus frequens. — Culmus pedalis, saepe minor, triqueter, superne scaber; bracteae foliaceae, erectae, vaginis longis; spica mascula linearis; femineae saepius duae, valde remotae, ovatae, erectae; glumae ovatae, muticae, fuscae, nervo pallido; fructus glumis longiores, fusco-virides, ovati, nervosi, rostrati, margine laeves.

1126. C distans. L. P. 129. W. 131.

♃. 4, 5. In palustribus turfosis: *im Mervelder Bruche! Münster auf Kœrheide! Dissen!* rarior; parum extra fines abundat in humidis salsis prope *Salzkotten! et Unna!* — Differt a praecedente simili: radice fibrosa, culmo plerumque ultrapedali, glabriusculo; foliis latioribus, planis; spica mascula lanceolata, obtusa; spicis femineis oblongis; glumis aristatis, ferrugineis, carina virente, fructu ovato, fusco, brevius rostrato, apice bifido, margine scabro, brevioribus.

1127. C. binervis. *Smith.* P. 130. W. 132.

♃. 5, 7. In ericetis elatioribus: prope *Bentheim hinter dem Walde in den neuen Zuschlägen*! jam emarcidam recognovisse credimus, ulterius inquirendam indicamus. — Culmus bipedalis et ultra, obtuse triqueter; folia subglauca; spicae femineae tres aut quatuor, inferiores praecipue remotissimae, erectae, cylindraceae, longius pedunculatae; glumae ovatae, nigrae, carina virente, mucronulatae; fructus glumis longiores, ovati, vix rostrati, nitidi, intus apiceque sanguineo, fusci, extus pallidi, margine scabri-nervis duobus lateralibus viridibus praecipue prominentibus; semen acute triquetrum, album.

1128. C. panicea. L. P. 156. W. 150.

♃. 4, 5. In pratis et pascuis humidis vulgaris. —

Herba glauca; culmus vix pedalis, glaber; spicae femineae saepius duae, subremotae, erectae, cylindricae, laxae; glumae ovatae, ferrugineae, carina viridi; fructus ovati, inflati, e viridi fuscescentes, ore integro.

1129. C. (V.) cæspitosa. L. P. 195. W. 166.

♃. 5, 6. In pratis, pascuis et sylvaticis ubique. — Planta insigniter polymorpha habitu et magnitudine pro solo natali atque anni temperie; semper vero colore glaucescente, spicis femineis densissime imbricatis, fructibus persistentibus compressis viridibus, glumas nigras parum superantibus dignoscenda. Variat autem: culmis pedalibus et biuncialibus, folia longe superantibus aut vix aequantibus; spicis femineis approximatis et distantibus, sessilibus et pedunculatis, erectis et nutantibus, unica interdum pedunculo longo radicali insidente, brevioribus et longioribus, apice interdum masculis; fructibus denique, utplurimum dense imbricatis, viridibus, sed etiam latissimis apice recurvis, atque nigris.

1130. C. agastachys. L. P. 162.

C. pendula. *Goodenough.* W. 168.

♃. 5, 6. In salicetis et sepibus humidis ad ripas *Rheni!* rarior. — Culmus 3—6pedalis, firmus; folia lata, saturate viridia, subtus glaucescentia, dura; bracteae foliaceae, basi vaginantes; spicae 5—7, arcuato-pendulae, cylindraceae, densissimae, summa mascula; glumae lanceolatae, fuscae, carina viridi; fructus ovati, triquetri, demum emarginati. Caveat tiro, ne hanc confundat cum sequentis varietate pendulina, bracteis basi subauriculatis, nec vaginantibus statim dignoscenda.

1131. C. (V.) acuta. *Smith.* P. 197. W. 199.

♃. 4—7. Ad ripas, in pratis humidis ubique

vulgaris. — Culmus 1—5pedalis, acute triqueter, angulis asperis; bracteae foliaceae, vaginis nullis; spicae masculae duae vel plures, filiformes, femineae 3—5, apice saepe masculae, cylindraceae, densae; fructus elliptici, obtusi, compressi, virides. Planta caeterum prae aliis variabilis: statura minore atque maxima, spicis approximatis et remotis, erectis et arcuato-pendulis, simplicibus aut basi compositis, femineis saepe apice masculis; glumis acutis et obtusis, in masculis saepe apice rotundatis, nigris, fuscis aut viridibus fusco-marginatis, fructu minoribus et multo longioribus, his semper atropurpureis aut nigris, carina paulo pallidiore; fructibus denique plerumque viridibus, rarius vero etiam nigris.

Obs. C. (V.) strictam *Good.*, praecedenti valde affinem, prope *Coesfeld* in pratis udis ad *fl. Berkel* observatam, non satis examinatam, ulterius inquirendam reponimus.

1132. C. paludosa. *Goodenough.* P. 198. W. 200.

♃. 4, 5. Ad ripas fluvii *Berkel* prope *Coesfeld* copiose! — Culmus 2—3pedalis, acute et inaequaliter triqueter, angulis asperrimis; folia margine carinaque aspera; bracteae foliaceae, non vaginantes; spicae cylindricae, erectae, masculae aeque ac femineae plerumque tres; mascularum glumae oblongae, obtusae, superiores, plerumque acutiores, feminearum lanceolatae, inferiores praecipue mucronulo scabro terminatae, fuscae, carina virenti, fructum elliptico-lanceolatum, erectum, apice demum emarginatum, subaequantes.

1133. C. spadicea. *Roth.*

C. Kochiana. *Decandolle.*

♃. 5, 6. Ad ripas fossarum margines, locis uli-

ginosis, praecedente vulgatior, a qua praecipue differt: spicis masculis binis aut solitariis, glumis angustioribus, superioribus magis acuminatis; spicis femineis longioribus, gracilioribus; glumis, praecipue inferioribus, in aristam scabram productis, angustioribus, nervo dorsali pallidiore, nec viridi; fructibus denique lanceolatis, laxius imbricatis.

1134. C. riparia. *Goodenough.* P. 199. W. 201.

♃. 4, 5. Ad ripas fluviorum passim, satis frequens. — Differt a praecedentibus: spicis masculis pluribus triquetris, nigro-fuscis, glumis mucronatis, carina concolori; femineis glumis ovatis, longius aristatis, fuscis, carina pallidiuscula; fructibus subpatentibus, plerumque parum recurvis, ovatis, ventricosis, apice bifurcis; foliis latis, margine carinaque asperis. Spicae femineae saepe apice masculae.

1135. C. vesicaria. L. P. 203. W. 204.

♃. 4—6. In fossis passim: *Dülmen* prope *Engsterstein*, N.!; *Coesfeld am Letter Wege!* alibique, sequente rarior. — Culmus bipedalis, acute triqueter, angulis asperis; folia angusta, pallide viridia; spicae femineae 2—4, subsessiles, cylindraceo-oblongae, glumis lineari-lanceolatis, acutis; fructus laxiusculi, ovati, acuminati, inflati, lutescentes.

1136. C. ampullacea. *Goodenough.* P. 204. W. 206.

♃. 5—7. In palustribus, fossis et aquosis vulgaris. — Herba glauca; culmus triqueter, infra spicas glaber; spicae femineae 2—3, erectae, cylindricae, quam in praecedente longiores et tenuiores, glumis acutiusculis; fructus dense conferti, patentes, basi fere globosi, apice rostro lineari bifido terminati, pallide lutescentes.

## TETRANDRIA.

### 399. LITTORELLA. L. P. 2048. W. 1651.

1137. L. lacustris. L. P. 1. W. 1.

♃. 6, 7. In ericetis et pascuis humidis, locis hyeme inundatis, ubique, ast rarius florens. — Folia linearia, semiteretia, carnosa, basi vaginantia; scapus uniflorus; stamina stylique longissime exserti.

### 400. ALNUS. *Gærtner.* P. 2046. W. 1656.

1138. A. glutinosa. *Gærtner.* P. 1. W. 1.

♄. 3, 4. In sylvaticis humidis. — *(Erle.)* — A. incanam *Willd.*, hinc inde occurrentem, nondum pro inquilina habendam putamus.

### 401. URTICA. L. P. 2057. W. 1662.

1139. U. urens. L. P. 18. W. 16.

☉. 6—11. In cultis, ad sepes ubique. — Folia elliptica; racemi simplices, androgyni.

1140. U. dioica. L. P. 19. W. 17.

♃. 7, 8. In ruderatis, ad sepes ubique. — Folia cordata; racemi ramosissimi; flores dioici, interdum monoici.

## PENTANDRIA.

### 402. XANTHIUM. L. P. 2065. W. 1667.

1141. X. Strumarium. L. P. 1. W. 1.

☉. 8, 9. In fimetis, ruderatis, ad sepes rarius: *Münster auf dem Kump*, H. et K.; *Dorsten* prope pontem! *Wesel!* — Caulis erectus, ultrapedalis; fo-

lia subcordata, trinerata, magna; flores racemosi, inferiores feminei, masculi ad apicem glomerati; nux oblonga, undique spinis hamatis horrida.

403. AMARANTHUS. L. P. 2071. W. 1673.

**1142. A. Blitum.** L. P. 17. W. 17.

⨀. 8, 9. In hortis, ruderatis et plateis: *Münster vor Mauritz-Thor*, W.; in urbe *Wesel!* — Habitus Chenopodii; caules plures, plerumque prostrati; spicae pauciflorae axillares et terminales; flores virides, masculi triandri.

## POLYANDRIA.

404. CERATOPHYLLUM. L. P. 2085. W. 1685.

**1143. C. demersum.** L. P. 1. W. 1.

♃. 7—9. In fossis et piscinis profundioribus frequens. — Planta immersa; folia verticillata, octona, dichotoma, dorso spinuloso-dentata; fructus ellipticus, spina longissima terminali atque duabus brevioribus ad basin armatus. Rarissime apud nos fructus fert.

**1144. C. submersum.** L. P. 2. W. 2.

♃. 8, 9. In fossis rarissima: *Münster* prope *Lütjenbeck*, H.; nobis nondum obvium. — Differt a priore foliis tenuioribus, magis compositis, saepe laevibus, fructuque minore, omnino inermi.

405. MYRIOPHYLLUM. L. P. 2086. W. 1686.

**1145. M. spicatum.** L. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. In piscinis et stagnantibus frequens. — Folia quaterna, pectinata, laciniis oppositis; spicae

emersae, terminales, interruptae, aphyllae, floribus omnibus verticillatis, inferioribus femineis.

1146. M. alterniflorum. *Decandolle.*

♃. 6, 7. In stagnantibus et fossis subturfosis: prope *Bentheim!* aliisque locis versus *Hollandiæ* fines, contubernium amans Scirpi fluitantis atque Mei inundati. — Planta, quantum scimus, nunc primum in Germania observata, differt a congeneribus: statura multo graciliore; foliis quaternis, parvis, triplo quam in præcedente minoribus, lobis abbreviatis, plerumque alternis, nec oppositis, setaceis; floribus inferioribus 2—3 verticillato-congestis, bractea foliacea suffultis, reliquis remotiusculis, solitariis, alternis, nec verticillatis, bractea exigua, simplici, setacea instructis; seminibus subcylindraceis. Ineunte mense Augusto plantam jam defloratam, seminaque matura gerentem reperimus, descriptioni cl. auctoris l. optime congruam, atque, ut et nobis videbatur, dioicam.

1147. M. verticillatum. L. P. 2. W. 2.

♃. 7, 8. In stagnis et piscinis, vulgare. — Folia quina, superiora minora; flores axillares, verticillati, inferiores, ut in priore, feminei. In exsiccatis caules sæpe breviores, erectiusculi evadunt, a basi fere inde flores gerentes.

406. SAGITTARIA. L. P. 2087. W. 1687.

1148. S. sagittifolia. L. P. 1. W. 1.

♃. 6, 7. In fluviis, fossis et piscinis ubique. — Folia plantæ junioris longissima, linearia, natantia, adultæ longe petiolata, sagittata; pedicelli terni, uniflori; petala alba, basi violacea; capsulae in globum congestæ.

### 407. POTERIUM. L. P. 2099. W. 1691.

1149. **P. Sanguisorba.** L. P. 1. W. I.

♃. 5—7. In montosis calcareis vulgare. — Folia pinnata; florum capitula solitaria, purpurea, floribus superioribus femineis, stigmate radiato exserto.

### 408. QUERCUS. L. P. 2101. W. 1692.

1150. **Q. Robur.** *Willd.* P. 65. W. 64.

♄. 5. In sylvaticis elatioribus: prope *Lavesum in der hohen Mark! Haltern auf dem Borkenberge! Coesfeld im Nonnenbusche!* — Folia petiolata; fructus sessiles. — *(Steineiche)*.

1151. **Q. pedunculata.** *Willd.* P. 66. W. 65.

♄. 4, 5. In sylvaticis ubique. — Folia subsessilia; fructus pedunculati. — *(Stieleiche.)*

### 409. JUGLANS. L. P. 2100. W. 1693.

1152. **J. regia.** L. P. 1. W. I.

♄. 4, 5. Persicae originis arbor, nunc jam dudum ubique inquilina. — *(Wallnuss.)*

### 410. FAGUS. L. P. 2103. W. 1694.

1153. **F. sylvatica.** L. P. I. W. 1.

♄. 4, 5. In sylvis ubique. — *(Buche.)*

### 411. CASTANEA. *Gærtner.* P. 2104. W. 1695.

1154. **C. vesca.** *Gærtner.* P. 1. W. 1.

♄. 5, 6. In sylvaticis nemorosis: *in der hohen Mark!* prope *Lembeck! Tüshaus!* — *(Kastanie)*. Arborem hanc vere indigenam putamus, quippe quæ non solum locis indicatis, sed etiam ad ripas *fl. Ruhr*

prope *Werden*, atque trans *Rhenum*, prope *Alfen*, *Rheinberg*, aliisque locis saepe in sylvis occurrit spontanea, certe ibi non plantata. E Britannia quoque haud exulat.

412. BETULA. L. P. 2105. W. 1696.

1155. B. alba. L. P. 1. W. 1.

♄. 4, 5. In sylvaticis vulgaris. — In adulta rami fere semper arcuato-penduli, juniores tuberculato-scabri; folia subtriangularia.

1156. B. glutinosa. *Wallroth.*

♄. 4, 5. In nemoribus sabulosis et lutosis fere ubique. — Intermedia inter praecedentem et sequentem, ab utraque distincta: ramis junioribus neque tuberculato-scabris neque pubescentibus, sed nitidis, subviscosis, in arbore adulta plerumque verticaliter atque longissime pendulis; foliis longius petiolatis, saepe minoribus, basi productis, rhomboideis, junioribus non rugosis; paulo serius denique, ac prior, floret.

1157. B. pubescens. *Ehrhart.* P. 2. W. 2.

♄. 5, 6. In sylvaticis, praecipue sabulosis et turfosis frequens. — Rami juniores pubescentes, fere semper erecti; folia ovata, basi rotundata.

413. CARPINUS. P. P. 2106. W. 1697.

1158. C. Betulus. L. P. 1. W. 1.

♄. 4, 5. In sylvis et dumetis ubique, praecipue vero solum argillaceum et lutosum eligens. — (*Hainbuche*).

414. CORYLUS. L. P. 2102. W. 1690.

1159. C. Avellana. L. P. 1. W. 1.

♄. 2—4. In sylvaticis et dumetis vulgaris. — *(Haselnuss)*. Variat nucibus calyce brevioribus aut longioribus.

1160. C. tubulosa. *Willd.* P. 2. W. 2.

♄. 2—4. In arboretis, ad sepes fere ubique, jam dudum inquilina. — *(Lambertsnuss.)* Differt a praecedente calycibus fructus tubuloso - cylindraceis, apice contractis, nec campanulatis, apice patulis. Variat fructu albo et rubro.

415. ARUM. L. P. 2114. W. 1705.

1161. A. maculatum. L. P. 17. W. 17.

♃. 5, 6. In umbrosis humidiusculis, praecipue argillosis et calcareis frequens. — Radix tuberosa, acris; folia radicalia, petiolata, hastata, saepius nigro - maculata, in umbrosis macris majora, immaculata; scapus simplex; spatha ventricosa, cucullata, pallide virens; spadix superne clavatus, purpureus, basi germinibus numerosis, medio staminibus, quorum superiora castrata, instructus; baccae demum miniatae.

## MONADELPHIA.

416. PINUS. L. P. 2130. W. 1711.

1162. P. sylvestris. L. P. 1. W. 1.

♄. 5, 6. In sylvaticis sabulosis ubique. — *(Kiefer)*.

1163. P. Larix. L. P. 25. W. 24.

♄. 4—6. In sylvis passim, stirps inquilina, nec indigena. — *(Lerche)*.

1164. P. Picea. L. P. 26. W. 26.

♄. 5. In pinetis rarior, vix indigena. — (*Weisstanne*).

1165. **P. Abies.** L. P. 33. W. 32.

♄. 5. In pinetis minus rara, praecipue solo lutoso. — (*Fichte, Rothtanne*).

Obs. P. Strobus L., hinc inde occurrens, nondum pro inquilina censeri potest.

417. BRYONIA. L. P. 2162. W. 1742.

1166. **B. alba.** L. P. 20. W. 19.

♃. 5, 6. Ad sepes rarior: prope *Bielefeld*, A.; *Rheine* (ubi sequens desideratur) frequens, M. — Caules cirrhis scandentes, longissimi; folia cordata, quinqueloba, punctis callosis scabra; flores racemosi, monoici; baccae maturae nigrae.

1167. **B. dioica.** *Jacquin.* P. 21. W. 20.

♃. 6—9. In dumetis, ad sepes frequens. — Differt a praecedente simillima praecipue floribus dioicis, baccis coccineis.

CLASSIS XXII.

# D I O E C I A.

## D I A N D R I A.

---

### 418. SALIX. L. P. 2179. W. 1756.

1168. S. triandra. L. P. 3. W. 3.

♄. 5. In salicetis, ad ripas, sepes vulgaris. — Arbor 30pedalis, more Platani corticem quotannis abjiciens; amenta coaetanea, triandra, pedunculis basi foliosis, staminibus squama duplo longioribus; germina pedicellata, oblonga, tuberculata, glabra, stigmatibus sessilibus; folia lineari-oblonga, utrinque attenuata, crebre obtuse serrata, fere triuncialia, glaberrima, supra laete viridia, subtus glaucescentia. Folia basi obtusa, quae Willdenowius contra Smithium laudat, in nostrate non vidimus.

1169. S. undulata. *Ehrhart.* P. 4. W. 4.

♄. 5. Ad ripas fluviorum, praesertim *Lippe* inferioris! et *Rheni!* frequens. — Praecedente similis, ast minor, plerumque frutex 6—8pedalis, foliis lanceolatis, basi rotundato-obtusis, subtus pallidioribus vix glaucescentibus, germinibus pubescentibus, stylis elongatis, a basi ad medium usque conglutinatis distincta. Utraque occurrit amentis androgynis; posterior praecipue variat magnitudine foliorum et stipularum.

1170. S. Russeliana. *Smith.* P. 7. W. 7.

♄. 4, 5. Ad vias, sepes, circa pagos et domicilia vulgaris. — Arbor excelsa, sequenti similis, ple-

rumque vero major, saepius de induſtria truncata. Folia lanceolata, acuminata, 3—4uncialia, subtus glaucescentia, undique serrata, glabra; amenta coaetanea, pedunculis basi ſoliosis, mascula triandra, flava, feminea squamis pilosis; germen brevius pedicellatum, ovato-subulatum, glabrum, ſuscum; stigmata bipartita.

1171. S. fragilis. L. P. 31. W. 31.

♄. 4, 5. Ad sepes, ripas ſrequens. — Plerumque ſrutex, interdum arborescens, ramis luteolo-ſuscis, basi ſragilissimis; ſolia 3—5uncialia, lanceolata, acuminata, obtuse glanduloso-serrata, utrinque viridia, supra nitida; amenta coaetanea, elongata, pedunculis basi ſoliosis; germina lanceolata, glabriuscula, patentia.

1172. S. pentandra. L. P. 11. W. 11.

♄. 5, 6. Ad margines paludum et ſossarum, ast rarior. — Frutex humilis; ſolia elliptica seu late-ovata, acuminata, crenulata, utrinque laete viridia, odorata; germina subsessilia, lanceolata, glabra, stigmatibus patentibus.

1173. S. monandra. *Seringe.*

*α. S. purpurea.* L. P. 36. W. 36.

*β. S. Helix.* L. P. 37. W. 37.

*γ. S. myrtifolia.* *Anglor.*

♄. 4. Locis humidis, ad ripas, ſossas ſrequens; *γ* in aggeribus siccioribus. — Frutex; *α* tri-aut quadripedalis, decumbens, ramis vimineis adscendentibus, ſoliis oppositis alternisve, plerumque obovato-lanceolatis, apicem versus serratis, subtus glaucis, amentis praecocibus, superioribus primum florentibus,

germine sessili sericeo, stylo vix ullo, stigmatibus parvis, sessilibus, ovatis; β differt statura majore, erecta, amentis majoribus, stylo elongato, stigmatibus ovato-linearibus patentibus, capsula lanuginosa; γ autem statura minore, foliis angustissimis.

1174. S. rubra. *Smith.* P. 40. W. 40.

♄. 4. Ad ripas passim: copiose ad *fl. Lippe* prope *Werne!* — Frutex, ramis longissimis, glabris, cinereis; folia lineari-lanceolata, 4uncialia, ad marginem subrevolutum parce denticulata, utrinque laete viridia; amenta praecocia; stylus elongatus, bifidus, stigmatibus patentibus; squamae nigrae cum germinibus pilis albis vestitae.

1175. S. argentea. *Smith.* P. 80. W. 80.

♄. 5. In pascuis arenoso-turfosis: *Münster auf Koerheide! Bentheim hinter dem Walde! Velen!* alibique haud frequens. — Frutex 2—3pedalis, ramis erectis, junioribus sericeo-argenteis; folia supra canescentia, subtus sericeo-argentea; germina villosa; stigma quadrifidum, crassiusculum.

1176. S. repens. L. P. 81. W. 81.

♄. 5. In ericetis humidis ubique. — Plerumque prostrata, ramulis brevibus depressis, villis albis adspersis; folia integerrima, subrevoluta, mucronulata, supra pubescentia, subtus subsericea; stipulae nullae; amenta ad apices ramulorum haud numerosa; capsula demum glaberrima, saepe purpurascens; squama apice fulva, pedicello longior.

1177. S. fusca. L. P. 82. W. 82.

♄. 5. In pascuis, ericetis humidis ubique. — Praecedente saepius major atque erectiuscula; folia elliptico-lanceolata, supra glabra, subtus sericeo-to-

mentosa, subdenticulata; stipulae lanceolato-subulatae; amenta plerumque pauca; squamæ apice atro-fuscæ, capsulae villosae pedicellum parum superantes.

1178. S. incubacea. L. P. 89. W. 89.

♄. 4, 5. In pascuis humidis frequens. — Differt a praecedentibus: foliis lanceolatis integerrimis, convexis, supra glabris, subtus incano-sericeis; stipulis oblongis, deciduis; amentis numerosioribus, squamis omnino viridibus aut lutescentibus, apice immaculatis, capsulae villosae pedicellum vix aequantibus. — Fatendum est, hasce quatuor ultimas species arcto nimis affinitatis vinculo inter se conjunctas, atque forsan melius in unam speciem esse colligendas.

1179. S. rosmarinifolia. L. P. 90. W. 90.

♄. 4, 5. Locis humidis turfoso-arenosis: prope *Münster*, W. H.; nobis nondum obvia. — Frutex 1—3pedalis, ramis brunneis, ramulis subsericeis; folia pollicaria, lineari-lanceolata, supra pilis adpressis tecta, demum vero glabrata, subtus sericeo-pubescentia, integerrima; stipulae lanceolato-subulatae sericeae; amenta praecocia, mascula elliptica, feminea cylindracea; squamae margine pilis longis instructae; germina lanceolata, villosa; styli longi; stigmata bina cylindracea.

1180. S. aurita. L. P. 96. W. 96.

♄. 4, 5. In sylvaticis et sepibus humidiusculis frequens. — Arbuscula ramosissima; folia obovata, recurvato-acuminata, undulato-serrata, supra viridia pubescentia, subtus cano-villosa, rugoso-venosa; capsulae lanceolatae, pedicellatae, stigmatibus subsessilibus. Occurrit in uliginosis turfosis varietas foliis ba-

si magis attenuatis, stipulis minoribus, caeterum nullo modo discernenda; an S. uliginosa *Willd. En.* ?

1181. S. aquatica. *Smith.* P. 97. W. 97.

♄. 4. In dumetis et sylvaticis humidis, fossis, frequens. — Praecedenti similis differt: foliis planis, vix rugosis, subtus glaucis pilosiusculis, medium versus serratis, stigmatibus subrotundis. Haec valde affinis videtur S. cinereae L.

1182. S. caprea. L. P. 101. W. 101.

♄. 4. In sylvaticis umbrosis ubique. — Arbor aut frutex elatior; amenta praecocia, maxima, crassa; folia magna, saepius elliptica, acuminata, repanda, nec serrata, supra glabrata, subtus dense tomentosa. Gemmae inferiores folia, superiores amenta non foliacea producunt.

1183. S. acuminata. *Smith.* P. 104. W. 104.

♄. 4. In sylvis et sepibus subhumidis non rara. — Praecedente humilior; folia lanceolato-oblonga, acuminata, obtuse undulato-denticulata, subtus tomentosa; amenta praecocia ovato-cylindracea, squamis ovatis acutiusculis pilosis, capsulæ pedicellum elongatum fere aequantibus.

1184. S. viminalis. L. P. 109. W. 109.

♄. 4, 5. In salicetis, ad ripas ubique. — Folia longissima, integerrima, subundulata, supra viridia glabra, subtus sericeo-argentea; amenta cylindracea praecocia; stylus elongatus; stigmata acuta, tenuia; capsula sessilis. Variat locis siccis foliis vix unciam superantibus, angustissimis, linearibus, margine revolutis.

1185. S. pubera. *Koch. ined.*

S. mollissima. *Seringe.* (nec *Ehrhart*).

♄. 5. In salicetis, ad ripas *fl. Rheni!* haud frequens, forsan pluribus locis obvia, etiam ab am. D. *Weihe* ad ripas fl. *Weser* detecta. — Differt a praecedente simili: foliis paulo latioribus, undulato-denticulatis, supra glaberrimis nitidis, subtus parce, praecipue ad venas pubescentibus, pube lutescente; amentorum squamis fuscis, nec nigris; stigmatibus brevioribus, bipartitis, demum revolutis. Masculam nondum vidimus.

1186. S. mollissima. *Ehrhart.* P. 110. W. 110.

♄. 4, 5. Ad ripas *Rheni!* rarior. — Praecedentibus similis, distincta vero: foliis utrinque viridibus, supra glabriusculis, subtus mollissime pubescentibus; pilis squamarum longitudine styli; stigmatibus indivisis patentibus; capsula squamam haud superante.

1187. S. alba. L. P. 115. W. 116.

*β. S. vitellina* L. P. 30. W. 30.

♄. 4, 5. Arbor excelsa, ad pagos praecipue vulgaris; *β* ibidem, sed etiam frutescens ad sepes et fossas. — Folia lanceolata, acuminata, tenuiter serrata, utrinque sericea; amenta cylindracea, gracilia; capsulae subsessiles, glabratae. S. vitellina L., quam specie ab hac distinguere non possumus, vix differt, nisi statura plerumque minore, ramis luteis nitidis, foliis supra glabris, libro denique luteo, nec ut in priore viridi.

Obs. S. amygdalinam L., S. triandrae proximam, et S. hippophaëfoliam *Seringe*, S. albae affinem, prout dubias adhuc, ulterius inquirendas reponimus.

## TRIANDRIA.

### 419. EMPETRUM. L. P. 2184. W. 1759.

1188. E. nigrum. L. P. 3. W. 3.

♄. 4, 5. In ericetis elatioribus, subturfosis: *Harsewinkel*, W.; *Emsdetten*, H.; *Dreyerwalde*, M.; *Bentheim* ad lapicidinas *Dr. Plagge!* alibique non adeo rarum. — Fruticulus ericoides, depressus, floribus axillaribus purpureis aut carneis, baccis nigris.

## TETRANDRIA.

### 420. VISCUM. L. P. 2204. W. 1774.

1189. **V. album.** L. P. 1. W. 1.

♄. 3—5. In pomariis passim, parasiticum in arborum frugiferarum ramis, haud frequens; in Pinis, Quercubus et Betulis nunquam vidimus; ad ripas Rheni autem in Salicibus truncatis obvium esse, asseruerunt amici. — *(Mistel)*.

### 421. MYRICA. L. P. 2208. W. 1779.

1190. **M. Gale.** L. P. 1. W. 1.

♄. 4, 5. In uliginosis turfosis vulgatissima. — Frutex erectus, tripedalis, odoratus; folia lanceolata, apicem versus serrata, basi attenuata; amenta sessilia, rubicunda, scariosa.

## PENTANDRIA.

### 422. CANNABIS. L. P. 2229. W. 1794.

1191. **C. sativa.** L. P. 1. W. 1.

☉. 7, 8. E *Persia* olim advecta, nunc ubique copiose culta, nec non spontanea inter segetes. — *(Hanf.)*

### 423. HUMULUS. L. P. 2230. W. 1795.

1192. **H. Lupulus.** L. P. 1. W. 1.

♃. 6, 7. In dumetis et sepibus ubique, certe stirps indigena. — *(Hopfen.)*

Obs. Spinaciam oleraceam L., rarius in agros excurrentem, de consulto reponimus.

## OCTANDRIA.

### 424. POPULUS. L. P. 2249. W. 1809.

1193. **P. canescens.** *Smith.* P. 1*. W. 2.

♄. 3, 4. In salicetis, locis humidiusculis, circa pagos, praecipue *Rhenum* versus, frequens. — Arbor excelsa, uti sequentes, a quibus discernitur foliis subtus tomentoso-incanis, petiolis triplo quadruplove longioribus, ramis adscendentibus. *(Weisspappel.)*

1194. **P. alba.** L. P. 1. W. 1.

♄. 3, 4. Cum priore passim, ast rarior: prope *Münster! Rees! Emmerich!* etc. — Folia subtus densissime tomentoso-nivea, petiolis duplo longiora; rami horizontales; amenta ovata, nec ut in priore cylindracea. *(Silberpappel.)*

1195. **P. tremula.** L. P. 3. W. 4.

♄. 3, 4. In sylvaticis ubique vulgaris. — *(Zitterpappel.)*

1196. **P. nigra.** L. P. 6. W. 7.

♄. 3, 4. Ad pagos, sepes, vias, locis humidiusculis ubique. — *(Schwarzpappel.)*

1197. **P. dilatata.** *Aiton.* W. 8.

P. fastigiata. *Poiret.* P. 7.

♄. 4, 5. Italicae originis, nunc ubique divulgata, jam in sylvaticis obvia. — *(Italienische Pappel.)*

1198. **P. monilifera.** *Aiton.* P. 8. W. 9.

♄. 4. Canadensis originis, ad sepes et vias vulgaris. — *(Canadische Pappel.)*

## ENNEANDRIA.

### 425. MERCURIALIS. L. P. 2254. W. 1814.

1199. **M. perennis.** L. P. 1. W. 1.

♃. 4, 5. In umbrosis, dumetis, solo calcareo sicco et uliginoso humido: *Uehrendorf,* A.!; *Ravensberg,* W.!; *Billerbeck beim Hause Collenburg! Warendorf,* H.; *Dülmen im Süskenbruche,* N.!; *Darup im Ramesbruche!* — Caulis simplex, apice foliosus; folia crenata, scabra; capsulae piloso-scabrae. Aliis in regionibus haec planta, quantum scimus, nunquam in humidis udis occurrit; nullam vero in speciminibus variis locis lectis invenimus differentiam, nisi quod planta in udis enata plerumque major, atque praecipue in caule et pagina foliorum inferiore pilis multo crebrioribus obsita sit.

1200. **M. annua.** L. P. 2. W. 3.

☉. 7—9. In ruderatis, cultis, ad sepes frequens. — Caulis ramosus; folia serrata, glabra; capsulae muricatae. Herba in cultis saepe infesta.

### 426. HYDROCHARIS. L. P. 2255. W. 1815.

1201. **H. Morsus ranae.** L. P. 1. W. 1.

♃. 7, 8. In fossis, piscinis frequens. — Herba natans; folia orbiculato-reniformia, integerrima, sub-

tus purpurascentia; flores masculi umbellati, pedunculis 3—4floris, feminei solitarii, omnes petalis tribus albis, basi luteis instructi; capsula sexlocularis, polysperma.

## DODECANDRIA.

### 427. STRATIOTES. L. P. 2262. W. 1822.

1202. S. Aloides. L. P. 1. W. 1.

♃. 6—8. In fossis, piscinis, solo lutoso et arenoso vulgaris. — Herba natans; folia conferta, ensiformia, aculeato - serrata, glabra; pedunculi foliis breviores, ancipites; petala tria, alba. Cl. Smithius hanc plantam abortu dioicam dixit; nos nunquam flores hermaphroditos vidisse recordamur.

## MONADELPHIA.

### 428. JUNIPERUS. L. P. 2286. W. 1841.

1203. J. communis. L. P. 10. W. 9.

♄. 5, 6. In sylvaticis ubique. — (*Wachholder.*) — Frutex, praecipue in apricis sabulosis mire ludens colore flavescente, purpurascente, atroviridi et glaucescente, atque ramorum varia directione, de qua indole polymorpha cel. Linnæus ipse jamjam mentionem fecit in Flora sua Lapponica.

Obs. J. Sabinam L., quamvis in hortis rusticorum nimis frequens obvia sit, inter inquilinas non enumerandam putamus.

### 429. TAXUS. L. P. 2287. W. 1842.

1204. T. baccata. L. P. 1. W. 1.

♄. 3, 4. Frequens circa domicilia, sed etiam in sylvaticis interdum obvia: prope *Rorup! Coesfeld!* locis praesertim calcareis. — *(Taxus.)* — Stirpem hanc, in *Britannia* satis frequentem, atque extra fines im *Lippischen* sponte provenientem, inter indigenas enumerandam putamus.

---

Myosotis sylvatica β lactea Nob., de qua pag. 55 mentionem fecimus, monente cl. Koch in litteris, specie ab hac differt, magisque accedit ad M. alpestrem, cujus forsan varietas memorabilis est.

---

# INDEX

## Generum, specierum, varietatum et synonymorum. *)



*) Varietatum nomina propria synonymaque litteris cursivis sunt impressa. Numerus denotat paginam.

---

MONASTERII, TYPIS HAEREDUM KOERDINK.

# Errores typographici.

---

Pagina XI, linea 2 et 3, edocsi l. edocti
— 2, — 4 ab infra, adscendti l. adscendit
— 4, — 15 radicente l. radicante
— 15, — 7 ab infra, *salina* l. *salinus*
— ead., — 6 ab infra, *paludosa* l. *paludosus*
— 18, — ultima, *lasiocarpa* l. *lasiocarpum*
— 34, — 4, uniglumis l. uniglumibus
— 42, — 12, fructis l. fructus
— 43, — 4 ab infra, hercynium l. hercynicum
— 47, — 6, alterum l. alteram
— ead., — 5 et 4 ab infra, α. β. l. β. γ.
— 79, — 12, ruderalis l. ruderale
— 117, — ultima, ltuosis l. lutosis
— 125, — 3 ab infra, venosai l. venosi
— 128, — 15, solume frtiliorem l. solum fertiliorem
— 154, — 9 ab infra, serriceis l. sericeis
— 162, — ultima *Lätjenbeck* l. *Lütjenbeck*
— 176, — 17, ita ut l. quæ
— 204, — 12, *Thuillilles* l. *Thuillier*
— 232, — 3 ab infra, glabriusculis l. glabriusculus
— 273, — 7, γ l. δ
— 290, — 1, trinerata l. trinervata
— 306, — 9, post M. alpestrem inser. *Hoppe*
— 320, — Lstera l. Listera
— ead., Malaxis œselii l. Malaxis Lœselii